

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



Jur. 10. 362 (1)

# DE FOELICI ET INFOELICI REPVB- LICA, AD SENATVM BRVGENSEM.

Authore Francisco Goethalsio Brugensi  
Iurisconsulto, & in eodem Se-  
natu aduocato.



LOVANII.

Apud Ioannem Bögardum, Sub Biblijis  
Aureis. Anno 1567.

Cum Gratia & Privilégio Regiae Maiest.

Nihil hic liber quod suspectum sit continet,  
quare citra fidei aut religionis iacturam ex-  
cudi poterit.

*Ita attestor*

*Iacobus Pamelius*

*S. Theo. L.*

FRANCISCI GOETHALSI  
G A N D E N S I S I N P V G N A M  
M I N E R V A E E T M E R C V R I I  
contententium & de palma car-  
men ad Lectorem.

**S**Illicitum Christi sacrata elemēta professo,  
Mercurij titulum & nomen memorare  
Minerua  
(Quod grauiore litās Paulinus munere cauit)  
Scilicet imprimis, quæ fabula fronte videtur,  
Appellatiuis sub vocibus edita prodit, (næ  
Ter magni Hermetis, tibi, pugnāq; grādis Athi  
Mæchanicis feruēs fremit artibus ipsa, sed ille  
Sermonis melior missu fora, lucraq; captat.  
Hoc tibi certamen agnatus. Ganda oriundus  
Tobile Franciscus, colli eucolus à bonitate,  
Candide largitur lector, nitide inspiciendum:  
Nū meritā Pallastemere arroget iclita palmā.  
Vrbibus in varijs, alio quæ more tenentur:  
Ciubus, vna, suis surgit submixa secunde,  
Ej; opera manuum census secat æra diurni,  
Dia quod insigni præscribit pagina iussu,  
Debeat alterius nihil ut sperare leuamen,  
Leta domi partis Sophia per munia rebus.  
Maneg; grat anter celeberrima tēpla salutās,  
Ante piam solito quam dextrā fasce fatiget.  
Altera, mercatus studiofa, negotia querit

A 2 Turbi-

Turbida, vecturas, sonitu strepitū forensim  
Vixq; micante die cupidi noctuq; tumultus,  
Insuper externa consortia commoda turbæ,  
Alta frequētātū densis per strata cateruis.  
Fæta dolis, fallens technis, falliq; dolosi  
Emporio fugiens, ac mercurialibus oris.  
Plus duce eo splēdoris adest, luxus, simul auri,  
Delitiæq; epulis dapibúsq; extensus amplæ.  
Nil morer, hac cūctis ipsissima causa malorū.  
Illa sed ingenij mage viribus usi politi,  
Expedit indigenis quōdā ac aliunde profectis  
Sobria quæ dulcem componunt fercula vitam  
Quæ dominū atq; domū resouēt, famuliq; co-  
Insup in gremio respirat abūde quietis, (horiē.  
Litterulus studijsq; vacans solerter amœnis:  
Pallados exermis, clypeo non fulta, nec hastæ,  
Sed fragili calamo mundum stabilire potētis.  
Tutius & proprijs cōtracta sub artubus audet  
Aspera in aduersi discrimina sistere casus:  
Quam si præsidij submixa incerte alienis  
Ambigat, admissus sitne hostis habēd<sup>o</sup>. an hos-  
Nulla cano digni præconia laude libelli, (pes.  
Res satis ipsa sonat, seseq; illustrat opella,  
Sanguine nō tangar, ne mutua poscere fingar,  
Nec sinat id, faciatue author. Modo ut erg<sup>o</sup> p̄ca  
Cēsor ut human<sup>o</sup> sumas, relegās<sup>o</sup> benign<sup>o</sup>. (mur  
Atq; probes gemina munus geniale Minerua.

CLA-

C L A R I S S I M O,  
I N T E G E R R I M O Q V E O R-  
D I N I . S E N A T U S B R V G E N S I S ,  
*Franciscus Coethalsius in eodem*  
*Senatu aduocatus*  
*S. D.*

Osteaquam diu multumq;  
mente agitaueram debe-  
remne præsens opusculum  
in lucem edere, dehortaba-  
tur me difficultas materiæ  
tam arduæ & inusitatæ,  
ideoque satius esse duxi, vt quod mihi soli  
peperoram, supprimerem, ne publico exami-  
ni subiijceretur. Contra suadebat ratio æden-  
dum esse, & quia difficillimum est omnibus  
placere, si quibusdam bonis minus placeret,  
apud eosdem, saltem propter operis vtilita-  
tem & difficultatem, iustum veniam autho-  
rem meriturum. Difficile enim in ius com-  
mentari, quæ ab alijs inuenta sunt augere,  
scripta aliorum in aliam linguam aut cōpen-  
diūm transferre & redigere, sed his longè  
difficilius noua scribere & à nemine antea  
tractata, qualis est nostra materia. Deum  
accessit his rationibus quod mirari quosdam

A 3 intel-

## E P I S T O L A

intelligebā, cur cum homo politicus essem,  
tam raro in foro, cœtu hominum, aut alijs lo-  
cis publicis versarer, quibus ne μισάνθεωπος  
viderer, volui aliquatenus satisfacere & de-  
monstrare non me sedere desidem domi, sed  
cum per aduocationes licet, consulere socie-  
tati publicæ & posteritati, ex innato mihi in  
patriam amore, & benevolentia in vestram  
Rempublicam. Vnde inter alias nostras lu-  
cubratiunculas tum in iure, tum in quibusdā  
vulgò ignotis artibus (è quibus nonnullas si-  
æderentur, absit verbo arrogātia, scio ob ra-  
titatem & rei veritatem plerisque admirati-  
onē futuras) relictis alijs, successiuis horis,  
quantum per frequentes aduocationū occu-  
pationes licuit, aggressus potius hanc mate-  
riam: disponere suo loco, amplificare & or-  
nare pro viribus cœpi. Quam quidem lucu-  
bratiunculam ita vtcunque elaboratam, sta-  
tui nemini potius inscribēdam ac dicandam  
quam amplissimo vestro ordini, partim ut  
singulare animi mei in vestrā celsitudinem  
necnon vestram Rempublicam studium, &  
gratitudinem acceptorum beneficiorū fig-  
nificatione aliqua testarer, partim quod tū-  
tulās ipse operis & subiecta materia (quæ  
sunt de felici & infelici Republica) suade-  
bant

D E D I C A T O R I A.

bant legum administratoribus & regendæ  
Reipublicæ præfectis eiusdemque conserua-  
toribus hoc opusculum consecrandum esse.  
Sperans eo magis vos permisuros adiuncta  
dedicatione vestræ amplitudini hoc in pub-  
licū prodire, quod post has primitias, si gra-  
to animo excipientur, opera quædam mai-  
ra apud me nunc nata, nondum incudi red-  
dita, proxima fœtura licentius æderem, tum  
etiam ut sempiternū quoddā extaret vestræ  
istius in ciues φιλομόσους καὶ φιλοπολίτας  
benenolentiæ & benignitatis symbolum, ut  
posteri agnoscant Senatum rerum for-  
titer & præclarè gestarum lau-  
di & splendori, amorem  
quoq; in literas ma-  
xime rarum ad-  
iunxisse.

Datum die 27. Augusti. An. 1566.



LECTORI DE OPE-  
RIS UTILITATE.




Visquis es, sincere Lector,  
qui præsens hoc opusculum  
dignaberis lectione, putauis  
te admonendum, hinc con-  
stitui posse fæticem Rem-  
publicam, quale Plato, qua-  
lem Lycurgus, qualem philosophi descriperūt  
& optauere. Deinde hoc te utilitatis consecu-  
turum, quod omniū ferè, qua apud Platonem,  
præsertim in libris de republica & legibus,  
nem non multis locis in iure humano pariter  
& diuino, obscurare continentur, rationes facile  
intelliges, percepis principijs & demonstra-  
tionibus hoc opusculo comprehensis, quas si di-  
uersi scriptores nescio ignorantia an inuidia  
ducti, posteris ita aperte reliquissent, multa  
paterent que nunc multis latent; si quidem  
habita & intellecta regula quæ infinita in  
uno continet, intelligitur quicquid eiusdem  
materia uspiam sparsum est. Certè hoc sentio  
cur iurisprudētia, præ ceteris artibus tam sit  
obscura in causa esse præcipue, quod Iurisperi-  
ti eam confuse et sine methodo tractarint nec  
in artem redegerint, nam vel ex allegationi-  
bus huic operi insertis, colligi potest Iuriscon-  
sultus

sultos & Imperatores sua responsa et constitutions fundasse in principijs quibusdam naturae, quapropter sine his ius commode intelligi non potest. Similis causa est cur tam sit occulta & à paucis intellecta ars chimica vel potius transformationis metallorum (qua à quibusdam propter abusum multorum ludibrio habetur) quod videlicet prolixo, confuse, sine ordine & obscurissimè data opera à philosophis tradita sit, ut nec percipi nec teneri memoria possit: est enim thesaurus inestimabilis quem putarunt non omnibus credendum esse, sed solis philosophis qui principia possent eruere. Ut igitur ad rem redeam, habet hic doctissimi quod eos delectet, mediocres utilissimas theorias qua in disciplinis capessendis poterunt esse usui, infimi, quod eos ad scientiae studium accedat. Quisquis itaq; hæc legis, eo quo scribuntur cando-  
re excipias, & authori  
bene precare.  
Vale.



DE FOE-





## DE FOELIC: ET INFOE- LICI REPUBLICA.

**D**Amidudum meditanti ex quibus possint vrbes laudari, & quibus causis alijs admirationi sint, quinque ferè occurrerūt eius generis loci. Magnitudo scilicet, Situs & ædificia, Vetustas, Libertas, Instituta. Vix enim fit, ut præter has, aliquibus de causis, vrbes celebrentur. Sed paulò altius singula membra quasi præfationis vice attingemus, vel præludemus instar chori ante certamen-  
vt sic cōmodius ad propositum deueniat-  
tur. Magnitudine itaque celebrari Babylo-  
niam quam Semiramis regina condidit <sup>a</sup>, &  
non solum magnitudine, sed situ & struc-  
ris, adeo ut his de causis merita sit numerari  
inter septem orbis spectacula, notum est ex  
historijs. Fertur itidem dignissimas admira-  
tione

a. Iusti.  
hist. lib. i.  
circ. grise.

D E F O E L I C I E T

tione fuisse in omni terrarum orbe Thebas  
vrbem Aegypti, magnitudine, mœnibus &  
ædificijs, quippe quæ cœtum habebat portas  
mirabili quodam artificio distinctas. Rursus  
magnitudine & situ laudatur Memphis  
vrbis Aegypti regia & populosa, quæ hodie  
dicitur Alcairum, quam reges ferè omnes  
**b. Diod.** relictis Thebis sibi regiam delegerunt **b**. Se-  
**Sic.lib.2.** cundum membrum erat situs, hic & securi-  
tatem & decorem exigit. De securitate,  
exemplo sunt commemoratae iam ciuitates,  
quas modo ob situm laudari cœliximus, quibus  
addernus adhuc vnam clarissimam videlicet  
Asiæ vrbem Cyzicum, quæ arce mœnibus,  
portu, turribusque marmoreis Asiaticæ pla-  
gæ littora illustrabat & muniebat. Quantum  
ad decorem attinet, qui vbertatem agro-  
rum amœnitatem, coeli salubritatem, fluvios,  
fontes & id genus alia comprehendit, lau-  
**c.nūc ma-** dibus euehūtur inter alia potissimum, Athe-  
gna Cana-  
ria dictæ  
**Ameri**  
**yesp.na-**  
**'tig.t.**  
**d.Sely.in**  
**poly.c.37.**  
**& Plin.5.**  
**nat hist.**  
**cap. 74.** Cœta la Tempe: quibus nunc Italia magnificentissimis suis extructis vrbibus superbiens, nimis cederet. Cæterum vetustate commen-  
datur Ioppe oppidum antiquissimum toto  
orbe terrarum, vt pote ante inundationem  
terrarum conditum **d**. Treuerensis quoque  
ciui-

ciuitas omnium ciuitatum & regnorū totius Europæ antiquissima, fundata octavo anno nativitatis Abrahæ, à Trebeta filio Nini, antiquitate celebris est <sup>e.</sup>. Huius generis sunt & Thebæ, de quib<sup>o</sup> modo egimus, cōditæ tēpore Isidis, itaq; ciuitatū omniū antiquissimæ <sup>f.</sup>. Idem dici potest de Babylonia, quæ anno 131. à salute ab aquis prima fuit omniū gentium & ciuitatum, si nō tempore, saltem dignitate ædificij & libidine dominādi, fundata à Nimbroto primo Saturno siue rege Babiloniæ <sup>g.</sup> Magoniacum in Germania esse ciuitatem vetustissimam, ostēdunt quæ reperiuntur vetustatis monumenta <sup>h.</sup>, eoq; nomine habetur insignis. Sed quid magnitudo, situs, & vetustas, si cū libertate (qui quartus erat locus) cōferātur <sup>i.</sup>: hoīes enī natura libertati studēt, & cōditionē seruitutis oderūt, licet enim vera & christiana libertas sit, esse immunē à vitijs nec seruire peccatis, est tamen & alia legittimā nimirū libertas, res inæstimabilis. Merito igitur hac ratione ciuitas vel regio celebratur, scilicet quod non pendeat ex arbitrio superioris qui imperet, qui ei iniungat facienda, aut cōstituta reuocet & rescindat. Tales sunt Venetiæ, Venetiæ enim prætendunt libertatē, nec agnoscunt superio-

<sup>e.</sup> Jordai.  
<sup>in chroni.</sup>

<sup>f.</sup> Diod.  
Sic. l. 1 c.  
2. & lib. 1.

<sup>g.</sup> Beros.  
lib. 4.  
h Möster.

<sup>i.</sup> Iul. Cas.  
sat. li. 3. de  
bell. Gall.

D E F O E L I C I E T

superiorem . Hoc autem præstat hæc liber-  
tas, quod ei proprium est , plenā scilicet po-  
testatem viuēdi vt velis, vt externorū prin-  
cipum placitis minime alligeris, denique vt  
nihil tibi obstet quo minus viuas vt velis, ni-  
si sola vis cui contraria vi resisti potest. Hu-  
iustmodi tamen regio non est soluta legibus,  
valent enim ad hoc leges ( quæ sunt anima-  
ciuitatis) vt in pace viuatur , sed hoc sic ac-  
cipiendum est , huiusmodi regionem ipsam  
sibi ex plena & absoluta potestate, omnige-  
ni generis leges statuere posse pro subdito-  
rum qualitate,natura,& exigentia temporis,  
posse creare magistratus,bellum mouere,pa-  
cem facere,ciuitates cingere muris,liberum  
esse à tributis & exactiōnibus , noua vecti-  
galia ( quæ secundum Ciceronem <sup>k</sup> nerui  
sunt ciuitatis) indicere ex causa pro libito,  
eademq; cum placuerit,abrogare & deroga-  
re posse. Quæ sola causa,immunitas scilicet à  
prædictis onerib<sup>r</sup> realibus(prætereo exactio-  
nem,ex qua plura incommoda tam subditis,  
quibus pecunia exhaustur tributis , quam  
ſæpe ipſi principi,ad quē,omnibus diductis,  
minima portio peruenit) sufficit ad ditādam  
regionem. Refert pulchrū exemplum Theo-  
philus <sup>1</sup> :Olim, inquit, Atheniensium ciui-  
tas, quæ

1 ad tit de  
mon. la. ge.  
etc. Instit.

tas, quæ propter sterilem terram annonæ caritate premebatur, illi malo finem quærens, lege lata constituit, ut negotiatores omnes frumentarij adnauigaturi Athenas immunitate vectigalium gauderent, quod cum fama passim diffudisset, plurimi Athenas appulerunt, duo hæc studentes, ut propter frumenti inopiam statim & sine mora tædio venderent, & nullum insuper eius negociationis nomine, vectigal penderent. Sufficit hoc exemplum, addam & rationem hanc, quod, præter id quod vectigalis vel portorij causa pensitandum est, sæpe improbitas vel vexatio eorum qui exercent & exigunt, extero magni redimeda sit, quid enim faciet in terra peregrina, dicam scribet? non poterit id sine mora, iactura rei suæ & iugi diligentia, in consulendis aduocatis, procuratoribus, sectando iudice, quibus omnibus animo examinatis mauult, & quidem consulte, vir bonus portitori rapaci obsecūdare, quam cum eo contentiosè iurgare. Olim quædam ciuitates tam in Germania quam in Italia (quia à fonte libertatis manat quicquid est cōmodi) hanc magna auri pecuniæque vi compararunt, à diuersis Imperatoribus, & ab obediētia Imperij liberæ redditæ sunt. Ob libertatem qui-

tem quidam populi vehementer dimicauit  
 cum dominis quorū erant in ditionē. Deniq;  
 nos bene nobiscum actum putatus , si vel  
 speciem aut vmbram tantum libertatis ha-  
 beamus. Gloriantur Brugæ nec imherito de  
 priuilegio s̄epius sibi confirmato, quod ciuiis  
 Brugensis ejusq; bōna per omnē fere ditionē  
 Flandriæ à portorijs & vectigalibus libera  
 sint. Itaque nemini dubiū esse potest, quanti  
 momenti sit libertas de qua hic egimus. Nō  
 quod censeā ciuitates principib⁹ aut regno  
 subiectas, posse illid iugū, vt vocāt, excutere  
 & impune ad libertatē proclaimare. His enim  
 non competit ius libertatis legittimæ, de qua  
 modo locuti sumus , sed si quæ ad liberta-  
 tem aspirant, illegitime eas facere & contra  
 naturam niti : tum quod fidem datam fal-  
 lant (at nihil tam contra naturam atque fi-  
 dem frangere , pa&ta violare) tum quod iu-  
 re hæreditario Principem Regémve pri-  
 uare student, quæ huiusmodi libertatem am-  
 biunt. De hac igitur pluribus frustrà , cum  
 eam nobis natura negarit . Postremum  
 æ verissimum quo celebrantur ciuitates,  
 si quis verè rem æstimare velit, sunt instituta  
 siue morū disciplina. Siquidē nō ædes super-  
 bæ, nō alti muri, vrbē præclaram faciunt, sed  
 homi-

homines fortes præstantes ac virtutis cultores. Ideo laudatur Sparta inter egregias ciuitates prima, quæ tamen nullis mœnibus circundabatur, & quæ ædibus quoq; nulla non pulchrior. Et apud Plautum<sup>m.</sup> (recte inquit <sup>n.</sup> In Per-  
quidam) si incolæ bene sunt morati , oppi-  
dum pulchrè munitum abitror . Sed istud  
membrum latissime patet , quot enim sunt  
virtutis species, totidē modis ciuitas in quā  
dominatur aliqua virtus, fœlix dici potest,  
loquendo ut vulgus loquitur,nam si vere &  
philosophice agendum est,dicimus cum Ci-  
cerone.<sup>n.</sup> virtutes non posse se iungi , & qui  
vnam habet, omnes habere virtutes. Si ergo  
ad communem opinionem oratio accōmo-  
detur, celebris est illa ciuitas & in ore homi-  
num in qua regnat iustitia , saltē vbi ea stre-  
nue à magistratu exercetur, vbi ius redditus  
tam exteris quam indigenis tum recte , tum  
perbreui sine cunctatione & tædio morat.  
Quæ quidem tanti sunt ponderis, quod quæ-  
dam ciuitates & Curiæ, vel hoc solo nomine  
male audiant, quod & aliquando minus cir-  
cumspete & tardius (cum is qui parti litiganti  
venit condemnatus lite finita , sed  
non dum decisa nec pronunciata sententia,  
factus est non soluendo aut solum vertit) ius

<sup>n.</sup> lib. 1.  
officior.

B dica-

D E F O E L I C I E T

dicatur. Rursus commendatur ciuitas ob sa-  
cra religionemq; nam quemadmodum con-  
stituendæ reipublicæ singulare præsidium  
est Religio, ita & Rempùblica. Nam consti-  
tutam, retinédat in officio. Ideoq; hac vsum  
ferunt. Numam Pompilium Pontificem

Maximum Romanorū ut populum ferocem  
Romuli imperio, adhibita religionē, ad me-  
liorem cultum redigeret; deposita pristina  
ſæuitia & inciuitate. Sciebat enim, nulla  
disciplina, nulla arte, sed sola religione, quæ  
nos Deo immortali amicos reddit & vin-  
cit, & in republica authoritatem conciliat,  
populum effrenem potuisse domari. Simile  
fecit Lycurgus in sua republica p. Idè quo-  
que Miroq; qui regnans in Gnosso in-  
geniti. irbe, Iouis consuetudine ac colloquio  
delege. Ta  
mouem annis se finxit & persuasit vti. Huc  
etiam pertinent, studia humanitatis & gym-  
nasia literaria, ob quæ & olim & nunc flo-  
ruere & summis laudibus euæcta fuerunt di-  
uersa oppida, imprimis Athenæ, Alexandria  
Aegypti academia, quæ habuit scholas om-  
nium disciplinarum liberalium. Massilia, in  
qua studia ingenuarum doctrinarum adeo  
flauerent, vt Romani pro Attica peregrina-  
tione Massilioticum peteret gymnasium.

p. Pausa-  
nias lib. 3.  
q. Plato in  
Minos vel  
de lege. Ta  
cit annal.  
lib. 3.

ad dis-

ad disciplinas capessendas. Nunc memoratur Lutetia in Francia, Bohonia & Patavium in Italia, Louanium in inferiore Germania. Et quanquam omnes hi modi, fœlicitatis comprehendantur sub membro institutorum, sunt tamen & alia, quæ eodem pertinent, artes scilicet omnes, & inter eas mœchanicae, quæ magis corporis exercitio aut industria, quam animi meditatione addiscuntur & administrantur, de quibus noster iam iam erit sermo, ne in eo quod attingendum fuit, quam in eō cuius causa id attigimus longior pœnatur oratio, quanquā si cum magnitudine utilitatis comparetur, vixia debitur, fortasse etiam breuior videbitur.

Principio igitur ut ad institutū veniam, loquemur hie de ea Republica quæ fœlix est ac beata. Talis est respublica quæ potissimum nascitur opificibus, qui artes mœchanicas exercent quæ in operis manuum sive manufactura præcipue consistunt, talis, inquam, Respublica, quæ sua vi subnixa stans non habeat quererē aliunde, unde consistat, nec copia mercatorum maxime externorum egeat ut sit, sed quam ipsimet mercatores ultro confectionur, & ad quam

Status  
causa.

D E F O E L I C I E T

sponte velis remisque accurvant, gratia comparandi & euehendi opera. quæ in huiusmodi ciuitate ciuibus ipsis supersint. Contra infelix ac minus absoluta respublica, cuius præcipuum firmamentum est in externo mercatore. Hæc sic intelligas velim, non ex solidis mœchanicis artificibus Rempublicam vel constitui vel constitutam seruari posse. Nam ut in corpore humano diuersa sunt officia, membris distinctis addicta, ita & in re publica diuersa sunt munia quæ quisque exequitur, hic officium iudicis agit, ille adiuvati, alius apparitoris, altius opificis, aliis mereatoris, & sic deinceps. Sed re publica ita feliciter constituta: alia diuisi membra alijs sunt magis necessaria, magisque absolute, digniora, diuturniora, & perfectiora. Consideremus ergo opifices cum mercatoribus soleat enim rerum similitudine veritas maxime elucescere, & quia tantum de his duobus his proposuimus loqui. Nam cū multitudo quæ in una mœnia conuenit, quadrisfariam ferè dividatur, ut primus ordo sit magistratus, nobilium & antiquorum ciuium qui ex annis redditibus suis viuunt: secundus agricultorum, tertius opificum: & quartus mercatores complectatur, omisis duobus membris prior.

s. c. 12. ex.  
de hæret.

prioribus, de quibus alias, tantum agemus de opificibus & mercatoribus: & primum utri magis necessarij sint Reipublicæ. At hic statim mirabitur quispiam quæ sit hæc comparatio, cum Cicero dixerit <sup>s.</sup> opifex omnes in sordida arte versari, nec quicquam ingenuum habere officinam, & moechanicas fabrilésque artes, licet ciuitati necessarias, esse tamen cōtemptibiles. Contra, inquiet, mercatura vitæ genus est, & exercitium non liberale nec inutile reipublicæ, modo fraus absit & auaritia: Christum enim ab hoc hominum genere sumpsisse similitudinem <sup>t.</sup>, t. Matt. 25 quando iussit exerceri talentum acceptum ut fieret fructuosum, multos quoque rem suam non infelicitate auxissé, qui ea cautè diligenterque vñi sunt. Sed ne quis in limine hic hæsitet, diluenda fuit nobis ante omnia hæc obiectio, simulque describendi opifices nostri, & ab inutilibus distinguendi, similiiter facturi de mercatoribus. Non est ergo quod mireris, o bone, Ciceronem paruipendentem eos qui ergasterio operantur, mercésque venales quæstus quotidiani causa ostentant, loquitur enim ipse de populo Romano, qui fabriles & operosas artes propter excellam atque exaggeratam quandam ani-

<sup>s.</sup> i. offic.  
Xenoph.  
in Ocean.

# D E P O E L I C I E T

mi magnitudinē maiestate sua indignas iudicabat, eisque, vt quidam author est <sup>v</sup>, ad feroos fere ac insitā plebem relegabat. Semper enim, vt testatur Cicero <sup>x</sup> populus Ro-

<sup>x-x.</sup> Cic. in manus appetens gloriæ præter cæteras gentes atque audiis laudis fuit. Simile ferè pos-

<sup>y-y.</sup> Nicol. Clenar. in qui ob magnitudinem animi, prouenientem ex calliditate cerebri, magis bello, quam arato vel opificio nati videntur. Romani ergo

vt ad eos redeam, perpetuo Imperij propagationem somniabant, bella spirabant, cogitabant stratagemata, artes & fraudes quibus hostes debellarent. In his nihil intetatum reliquere. Et post hæc, sua studia ad hoc contulerunt, vt legibus optimis vndique emendatis respublica muniretur. Nam, teste Sa-

<sup>z-z.</sup> In bello Catilinar. Romanis non obstabat superbia quominus aliena instituta, si proba erat imi-

<sup>a-a.</sup> Dio. Sic. lib. 6. c. 9. tarentur <sup>a</sup>, ideoque leges ab Atheniensibus

& Lacedæmonijs <sup>b</sup>, arma atque tela milita-

<sup>b</sup> & nō. <sup>c</sup> & nō. ria à Samnitibus, pleraque insignia magistratū de na-

inst tuum à Tuscis <sup>c</sup>, sumpserunt. Postremo

<sup>d</sup> & c. i. ff. de quicquid ubique apud socios aut hostes ido-

lorū. sur. neum videbatur, cum summo studio domi

c. Lui. h. r. exequabantur. His adde Romanos additif-  
ab vr. cōd. simos fuisse yenationis studio, apud quos illa

visque-

vsq; adeò inualuit, vt feras ab extremis Afriæ Africæ & Europæ finibus in urbem accerserent, vt cædibus ferarum immanium assueti, minus hominum crux & vulnera perhorrescerent, si cum hostib[us] dimicandum es-  
set <sup>d</sup>, deinde etiam quia venatio , vt docet d. Plinius  
Xenophon <sup>e</sup> , alijs & multis rationibus, vti-  
les homines bello , & laborum militiæ pa-  
tientes reddit . In his ergo Romani om-  
nem suam operam collocantes , his studen-  
tes, non ita magni fecere μηχανικὴν alioqui  
necessariam.

Suetonius  
Spartan.  
Iamp. &  
alijs.  
e. lib. de  
Venat. &c  
de republ.  
Lacedem.

Nos opifices qui ea quæ nobis usui sunt,  
parant , & sine quibus minus commode vi-  
uitur , vel qui urbem diuersis ornamentiis cum.  
illustriorem reddunt & cultiorem , non for-  
didos vocamus, imo inter honestos ciues cé-  
semus. Quorum singula genera & capita, su-  
perfluum esset hoc loco cōmemorare , cum f. i politi-  
eadem satis in singulis rebus publicis nota g. toto tit.  
sint, describanturque ab Aristotele f. , & ali- de excus.  
quot enumerentur iure scripto g . Sed for- art. Co li-  
didi quæstus opifices , & voluptatum mini- h. de his  
stros, qui Veneris & gulæ irritamenta parant, in l. humi-  
tabernarios h. , & sollicitatores alienarii nup- tiarū i. de his, in-  
lioi Republica , sed etiā procul ablegādos cū ext. crimi-  
B 4 Lycur-

D E F O E L I C I E T

Lycurgo & Platone censemus, hi enim omnes pluribus obsunt, prosunt nemini. Leues

k. de his in & ludicras artes etiam qui exercent k. , & ex latheas. quibus nihil commodi prouenit , aliquando ca.inf.ir- etiam multum mali, quales sunt hi qui confi- rog. ciunt ea quæ nec per se nec admixta alijs hu- l. de his in manu generi possunt esse vtilia , vt vene-

l quod sç- na <sup>1</sup> : item circumforanei chirurgi , morbi pe. §. van. gallici curatores , qui se populo admirandis ff. de cōtr. experimentis præclaros venditant , deinde emp. & 14 § mala ff. saccularij <sup>m</sup> , circuratores <sup>n</sup> & præstigiato-

famil.er- res, veteratores omnes fallacissimi , qui nihil cīs..

m. i sac- habent quam quod lingua expedita vel sin- cul. ff. de gulari digitorum mobilitate & agilitate ex- ext crimi. cellant: his adde funambulos saltatores & hi- n. i. si ff. de striones <sup>o</sup> , in quos populus stupidus animū ext. crimi. occupat , & alijs qui mortalibus admirationi o. de his sunt. Hos, inquam, omnes nec opificum no- in d. i hu- mine nec honore dignamur , sed eos solum, milem.

p. 1 & lib. 22. de dig- qui honestis, vtilibus, & ad honestam volup- nit. tatem compositis artificijs occupantur, libe-

rales putamus. P Et qui inter hos non tan-

tim opera, sed etiam ingenio & illustriore abqua arte & inuentione clarent (est enim

inter opifices longa differentia q ) dignos-

ensemus, in quos aliqua dignitas confe- tur . quia non modo se & familiam suam

clarior-

clariorem reddunt, verum urbem illustrem immu.  
 vnde oriundi sunt, & in qua honestas suas  
 excogitatas inuentiones aut artes (in quibus  
 ingenii & natura dominantur concurruntq;) exercent. Sed sordidi & inutiles illi, & his similes qui nec sibi nec alijs vtiles sunt, imo fraude & iniuria moliuntur aliorum parta consumere, hi Deo inuisi: vt fuci ab apibus arceantur, & à ciuibus ejiciantur, σπερτωσιον ἀχθος ἀρουρα. Si hæc tibi non sufficiunt, sed pergis adhuc vocare sordidos artifices, quod iugi industria ac contemptibili labore, opera sua fabricentur ac confiant. Sic habet, non magis, contemptibilem esse eo rem labore atque est medici, quem tamen nemo non suspicit & admiratur. Nam, vt ait, insignis ille medicus Cardanus loquens de arte medica. Ars medica, si quæ alia (gloria quæ illam comitatur excepta) tota seruatis, est & plena laboribus, & vt vere fatear, inquit, ingenuo viro indigna, vt non mirer olim seruorum fuisse hoc exercitium, hæc tamen est necessaria, quo circa medicos, quantumuis medicina innumeris obiecta sit periculis & seruilibus laboribus, homines honore prosequuntur & laudibus euchor. Nonne μηχανικæ aut magis necessaria, ut pota  
f. lib. de li. propriis.  
 sine

AD E F O E L I C I E T I V :

fame quā humanū geris statim post lapsum  
primi parentis nō potuerit consistere? Vnde  
non minus industrius aut illustris opifex cō-  
mendandus est acceſtebrandus. Sed nihil mi-  
rū, huiusmodi scrupulos quibusdam iniici,  
eum similis error multos inuaserit de agri-  
colis; quos contemnunt tanquam seruos &  
ad perpetuum laborem addicatos, de quibus  
fani iudicij homines longe secus sentiunt.

**t. offic. & Cicero** enim non est veritus dicere agri-  
**Xenop. in** culturam solam esse, cui ingenii excellen-  
**Oecono.** tēsque viii manus admoere debeant, siqui-  
dem ex nihil vberius, nihil dulcior, præferens  
eam mercaturę, nec tam absurdē, cum ea so-  
la, nobis alimenta & vestitum præbeat, sine  
quibus corpus ali non potest. Sed quid tam  
anxiè perscrutamur obiectionem de sordi-  
dis opificibus, cum eadem ratione quā Ci-  
cero v. sordidos opifices vocat, idē author &

**v. i. offic. & circ. fi.** sordidos mercatores & sordidam mercaturā  
**Distinctio** appellari Mercatura, inquietis, si tenuis est,  
**inter mer-** sordida putanda est. Et idem rursus. Sor-  
didi, inquit, mercatores putandi sunt, qui à  
mercatoribus mercatur quod statim ven-  
dant, nihil enim proficiunt, nisi admodū men-  
tiantur, nec enim quicquam est turpis va-  
nitate. His similes sunt propole & Dardana-  
rij, qui-

rij, quibus nostro malo didicimus mostrante  
rei experientia, rebus publicis nihil esse per-  
nicioius, his inquam, qui circummeunt pagos  
& loca non ita disita longe à ciuitatibus, &  
ibidem à rusticis præemunt minoris, butyrum,  
caseum, pecudes, aliaque homines ad viuen-  
dam necessaria, ut eadem mox carius in ciui-  
tatibus vendant, ea sola arte victum parates,  
hi reuera folidissimi, ac ne mercatores qui-  
dem nuncupadi, cum studeat turpissimo fœ-  
nori cum Republicæ dano. Quare vos pub-  
lico proclamante singulis annis obuiam itis  
horum improbitati & auaritiae, quam & Ca-  
rolus Cæsar piæ memoriarum Cæsarea consti-  
tutio coercuit, quaq; nec leges scriptæ x.  
inultam sinunt. Siquidem hoc præstat incom-  
modi, præter alia, quod carius vendat, quam  
ipse agricola ventiturus erat. His de causis  
in Italia coguntur rusticci & pescatores ex  
antiqua obseruatione invenire, victum in  
vibes, ibidemq; vendere, & non nisi minutim,  
saltē, usque ad certam horam, sed capanula  
dante signum licet etiam propolis in maxi-  
ma quantitate emere. Cui non dissimile in  
vestra republica summa cū laude obseruatur.  
Admittuntur ergo hodie propolæ, sed adhibi-  
to moderamine ac præscripto eis modo.

x.l.anno.  
ff. de extr.  
crimin.

Quan-

D E F O E L I C I E T

Quanquam nec sic quidem omnes indiffe-  
renter admitti deberent ut propolæ , si cum  
Socrate v. loquimur, sed dūtaxat hi qui adeò  
imbecilles corpore & inualidi sunt, vt aliud  
vitæ genus minimè tractare possint . Legi  
epistolam Adriani Imperatoris in qua lau-  
dat Alexandriam Aegypti ciuitatē opulen-  
tam & diuitē, quod in ea nemo viueret ocio-  
sus, sed omnia opificia florerent , podagrosi  
quod agant, haberent: cæci quod agant, ha-  
berēt: & ne chiragrici quidē apud eos ociosi  
viuerent. Redeo ad propolas, quibus nō dis-  
similes sunt illi mercatores , qui totum gra-  
num, vel omnes merces vnius alicuius gene-  
ris in vniuersum coemunt, vel etiam ad tem-  
pus suppressimunt, vt ipsi soli his abundantes,  
dum alij huiusmodi mercibus carent , ven-  
dant postea quantumlibet inæstimabili rei-  
publicæ damno, quorum auaritiae aliquando  
quoq; constitutionibus publicis occurritur,  
præsertim difficilibus temporibus. Sed quid de  
his mercatoribus, dicat Hesiodus, si reuiuis-.

*z. ἐργα  
νοῦ κατ-  
ρου.*

*Nέπτιοι οὐδεὶς ἵσται ποστεύειν πάντος.*

*Nam vulgare est proverbiū, male parta, male  
dilabi. Ideoquæ idem Hesiodus monet.*

*Μη κακὰ κερδεῖν τινα, κακὰ κέρδεται σατηνοί.*

*Quas*

*y. a. de re-  
publ.*

*a. eodem  
opere.*

Quas sententias , quia tam diuinæ admirandæ & tam multis cognitæ sunt , quam à paucis obseruatæ , hoc lōco non absurdè adiunxi. Tum etiam ut demonstrarem , prædictos mercatores nec sibi nec alijs vtiles esse: ideoque Deo inuisos , & à fœlici republica procul abigendos , non secus quam inutiles illos , de quibus memineramus , opifices. Sed ut accuratius mercatorū genera distinguantur , quod modo cœperimus facere , sciendum est veteres fœlici Republica prohibuisse illos mercatores , qui inferebant vina & reliquias res , ad superbiam aut mesam luxuriam pertinentes , quales sunt fuci ad comēdum & ornandum inuenti , & aromata vel species ut vocant. Nec immerito , quia his rebus animi ciuium vbi hæc aduehuntur , relanguescunt & virtus eorum frangitur. Quapropter Lycurgus sic ciues suos Spartanos erudiuit , ut apud eos illecebræ , fuci , aromata cum similibus quæ magis ad ostentationem quam necessitatem pertinent , quæque libidinum & gulæ sunt irritamenta , ignominia essent & probro . Animi enim magnitudinem parit frugalitas , contra mollitatem ignorantiam & malorum agmen secum luxus trahit . Postea quam Annibal exercitus campano vino made-

madere cœpit & scortis indulgere ; de eius  
bellicâ virtute actum est . Quod & Phalaris  
tyrannus intelligēs Leontinos, populum Si-  
ciliæ antea à se expugnatos, ademptis armis  
ad compotationes & voluptates reiecit , vt  
nequaquam rebellionem pararent . Hinc na-  
tum prouerbium, Leontini semper iuxta po-  
cula . Milesij , cum prius potentes essent &  
opulent, delitijs dediti, & opes & potētiam  
amiserunt, vnde adagium . Olim fortis Mi-  
lesij . Histros , cum Cnei Manlij castra cœ-  
pissent, opimiq; prædæ incubarent, epulan-  
tes ac ludibundos, plerosque etiam vbi essent  
præ pōtu nesciētes , Appius pulcher inuasit,  
sic cum sanguine & spiritu male partam vi-  
ctoriam euomere . Iuliūs Cæsar, Belgas in-  
ter Gallos fortissimos iudicat & hac ratione,  
quod à doulty & humanitate prouinciæ Nar-  
bonensis longissime abessent, minimeque ad  
eos mercatores sāpe cominearent , atque ea  
qua ad effeminandos animos pertinent, im-  
postarent . Quæ autem illa essent Idem Cæ-  
sar d' postea interpretatur & describens natu-  
ram & mores Nerviorum ( quos hodie Tor-  
nacenses vocant ) narratque reperiisse se nul-  
lam aditum esse ad eos mercatoribus , nihil  
pati vini rali quarumque rerum ad luxurianti-

b Lucius  
Florus in  
epith. ges.  
Roman.  
c. lib. 1. de  
bell. gall.

d.lib.2. de  
bell. Gall.

1. 160

perti-

pertinentium inferri, quod his rebus relin-  
 gescere animos eorumq; remitti virtutem,  
 existimarent. Sardanapalus rex Assyriorum,  
 in fugam coniectis Babylonij quibus prae-  
 erat Belesus socius & confederatus Arbaces  
 Medi ducis Assyriorum, ad hilaritatem pro-  
 fusus, epulum militibus ex sacris, vinumque  
 abunde præbuit, aliaque epulo accommo-  
 data . His intentis Assyrijs militibus Sar-  
 danapali , Arbaces qui per trans fugas ; ho-  
 stium in castris negligentiam , vt qui vino  
 ciboque grauati , somno quieti quo indige-  
 bant, norat, noctu castra hostium expugna-  
 uit . Acie instruti incompositos, impara-  
 ti paratos adorti , multis interfectis reliquos  
 in urbem compulere , & hac victoria em-  
 perium Assyriorum ad Medos translatum  
 est . Ceterum non tantum mercatoribus  
 vinum inferentibus & asomata, aditus aduenit  
 gandus . eit, sed & ijs , qui gemmas & lapides,  
 aurum & inatile summi materiam malis vel  
 vnguentis quoq; importarent . Qui obre Iuli  
 Cæsar is & Publius Crassi censuræ edicto fuit  
 anno urbis conditæ 505; ne quis vnguentum  
 inueberet peregrina . Sed postmodum vice-  
 runt vitia & Senatus placuere odiorum deha-  
 tis jucundas apicas virtutes veterum ab oīis  
 vitio-

# DE FORTUNA ET

f. Soly. in vitiorum illecebris exempti essent f. Re-  
poly. c. 48 fert Tacitus g , cum multa in luxum ciuita-  
g. lib. 1. an tis dieta essent à Q. Haterio consulari. Octa-  
nal.

Frontone prætura functo: decretū fuisse  
ne vasa auro solida ministrandis cibis fierēt.  
Et ne vestis serica viros födaret. Causa autē  
prohibitionis huius fuit iustissima , tū quod  
aurum & huiusmodi vestes ad luxum perti-  
nent , & cum maximi precij sint facile poten-  
tiam substantiam exhauriunt . Idemque  
principum constitutionibus , auri , aut auri  
intexti vestibus , serici , aut serici intincti ,  
vñsus priuatis hominibus prohibitus est. Non  
alienum ab hoc loco est quod Cicero de

h. lib. 1. de Græcis prodit <sup>h</sup>. Phœnices , scilicet primos  
republ. mercaturis & mercibus suis avaritiā & mag-  
nificentiam & inexplicabiles cupiditates om-  
nium rerum exportasse in Græciam. Et pro-  
presa Lycurgus , mercatores , huiusmodi res  
Spārcā in ferre passus non est . Et Isocrates  
regi sibi preceptis regem erudiens , inter cetera  
opimac docet , ut negotiaciones Reipub-  
licæ moties prohibeantur. Similiter Plato <sup>k</sup> nul-  
la pergrina voluit in rem publicā suam in-  
ueniri , nisi essent necessaria quæ regio nō sub-  
ministrabat , quemadmodum nec quicquam  
regioni necessarium , adduci potuit ut ex-

k. 8. de II. porta-  
licet moties prohibeantur. Similiter Plato <sup>k</sup> nul-  
la pergrina voluit in rem publicā suam in-  
ueniri , nisi essent necessaria quæ regio nō sub-  
ministrabat , quemadmodum nec quicquam  
regioni necessarium , adduci potuit ut ex-

portaretur. Sed de his satisti. Habet enim alio rem questionem hæc ad usum nostris temporibus adiungere, & commode executioni mandare velle. Vides ergo quam vicina sunt virtus inutilium opificum & inutilium mercatorum; ut non habeant alijs præ alijs de quo magnopere sese efferant. Inter opifices enim alijs nec sibi nec alijs profanis, inter mercatores similes diximus, reperiuntur, inter opifices sunt coqui, cupedinarij, magistri gulae, viagentarij: inter mercatores inueniuntur mangones, pigmentorum institores, & alijs qui causa iudiciorum animi aliorum effeminantur, & proclives feratudinæ omne genus malum. Sed disponentis iam opificibus vicissim ac mercatoribus utilibus ab inutilibus, puris ab impuris, extollit se longè clarior & euidentior inter hos comparatio. Eos ergo utiles, cum necessarios arbitror mercatores etiam in felici republica, qui ex alijs regionibus praesertim longinquis & ultramarinis inueniunt vel important multa, magna & expensa, usui necessaria, vel utilia, j. vt eadem multis sine vanitate incolis vendunt, & exportant ea, quibus iudem abundant, quæve eorum effecta sunt operis. Hi, inquam, mercatores in republica sunt ardentarij. Nam

C cum

1. Sic defributur à  
Plato. l. 2.  
polit. qui  
locus est  
translatus  
in &c. l. 2.  
de n. d. &  
Cic. 2. off.

cum non emnis ferat omnia tellus, sed singulari prouidentia Deus constituerit, ut alia alterius ope egeat, ad augendā inter humanū genus cōmunionē & societatē ciuitatem, nec non cōcordiæ & amicitiæ perpetuum vinculum inducēdū, sicut vt mercatores, quae in alijs regionibus supersunt, importente ijs locis vbi his opus est, vt quemadmodū alimenta naturalia fere agricultor nobis suppeditat, sic negotiator reliqua necessaria, & inter alia materias rudes hinc quibus opifices suum opus confidere nō possent. Vnde sit vt nunc tēporis non minus sine mercatoribus quam sine agrorū cultoribus & opificibus ciuitatis societas esse queat. Opifices vero quam sint necessarii, & quomodo sine his vita humana trāsigi nequeat <sup>¶</sup>, clarius constat experientia.

**Opifices  
esse necessarios.**  
m. l 5 §.  
hac idcir.  
ff. de iur.  
jmmu.

quā vt probatione egeat, & q̄ si hanc ignorat in media luce cāucus ambulat. Quis enim cui non perspicua sunt illa, quae de artiū necessitate Aristophanes in Pluto satis exhibuit, & quae Cicero <sup>¶</sup> admiratur de artiū multitudine, quē locū quia eximus est, subnectam. Nam quid enumerem, inquit, artiū multitudinē, sine quibus vita hominū omnino nulla esse potuisset, quis enim aegris subueniret? quae esset oblectatio valentiū, qui virtus aut cultus

cultus nisi tam multæ nobis artes ministrarentur, quibus rebus exculta hominum vita tantum destituit à victu & cultu bestiarum, vrbes verò sine opificum frequētia non potuisserent ædificari, nec frequentari. Sed placet rei non dubiæ hanc addere rationem, quod sicut ciuitatis origo est mutua indigētia, forma verò eius certa viuendi disciplina, per quam bene beateque viuatur, ita materia eius sunt res & artes necessariæ. o Flon 4.  
de regnab  
... . Vtris que ergo ex æquo eget ciuitas, ut nunc sunt tempora, & rebus & artibus necessarijs, illas aliunde adfert mercator, has domi exercet opifex accedente manu & arte. Qui tamen has res à primis principijs indagauerit, & ad ea respiciet non negabit opifices ipsos antiquiores esse mercatoribus, & aliquando Rempublicam sine mercatoribus constitisse, sine opificibus nunquam P. Philo.  
de mā 3.

Nam Adamus primus parens statim à lapsu ut poenitentiam sibi & posteris suis à Deo inflictam perageret, in sudore vulnus sui agrum coluit. Idem fecit & Noe, erat enim agricola. Sed ne soli agricultæ crederantur fuisse tunc temporis, legitur q exsistisse etiam malleatores fabrōsque in omni opera æris & ferri. Et rursus: Cain

C z ædifi-

## D E F O E L I C I T

ædificasse ciuitatem, quam vocavit à nomine filij sui Endeh. Et illo tamē tempore halib⁹ legitur, nec verisimile est, ante diluvium extitisse mercatores, sed eos item cœpisse, cum facta linguarum diuisione Deus turbis illius Babylonicaæ ædificatores in diuersas terras disperserat. Ex quo prima laus & præstantia debetur opificibus præ mercatoribus à vetustate & absoluta necessitate. Sed hæc haec tenus. Cum ergo & illi & hi necessarij sint, videtur est quæ respublica sit fœlicior, illane quæ præcipue dependet ex copia exterrarum nationum, an ea quæ suis opificibus contenta, mercatores exterorū tantum in subsidium admittit, non ut in ijs suam fortunam aut fœlicitatem extremam statuat. Et multis varijsque rationibus efficiemus, hanc rem publicam fœlicem esse, illam contraria in fœlicem. Sed quia exempla vtpote rem ob oculis poneantia & sensibus seruientia magis quosdam mouent, quam rationes quæ in intellectu consistunt. persequamur antea in uniuersum quid optimæ constitutæ Respublie senserint de opificibus & mercatoribus, quo loco numero & honore eos habuerint.

Vtque altius repetamus, à Noë, qui edoctus erat diuinam & humanam sapientiam sumemus

Argumē-  
tū à vetu-  
state & ab-  
soluta ne-  
cessitate.

mus principium . Hic cum refederat arca in Armenia saga, siccato ab aquis orbe, antequam discederet ab Armenia , docuit illos simpli-  
cem agriculturam magis curans religionem & mores, quam opulentiam & delicias , quæ ad illicita & libidines prouocant, & cœlestiū iram nuper induxerant <sup>1.</sup> . Primus quoque <sup>L. Bero. li. 3</sup> omnium inuenit vites & vinum cōfecit, sed & far docuit prius, vtraque ad sacrificia & religionem magis quam ad esum & potum <sup>1.</sup> . <sup>s. Faber pict. de aur. sær.</sup> Ab aurea enim ætate (quæ durauit annis no-  
uem & quadraginta supra ducentos, quo usq;  
scilicet Ninus rex Assyriorum hos aureos  
mores noua regnandi cupiditate mutauit, &  
primus limites transgressus bella finitimis  
mouit & totius Asiae perdomuit populos)  
quotcunque gentes vndique dispersæ erant  
aut in colonias missæ , rudi trunco cauaque  
arbore atque tugurio vtebantur suis finibus  
contetæ, vietus eis parcus erat, & prout ter-  
ra sponte præbebat . Ideoque sequitur tunc  
temporis ignotam fuisse mercaturā, ad quod  
elegantissimè accedit Poëta , primo Meta-  
morph. sic canens:

*Nondū casas suis peregrinū ut viseret orbem:  
Motibus in liquidas pinus descēderat undas  
Nullaque mortales præter sua litora morant.*

C 3 Et post.

D E F O E L I C I E T

Et pōst.  
Mollia securē peragebant oīa gentes.  
Ipsa quodq; immunis rastroḡ intacta: nec ullis  
Saucia vomeribus per se dabat omnia tellus.  
Contentig; cibis nullo cogente creatis.  
Arbuteos fætus montanag; fraga legebant:  
Cornag; & in duris harentia mora rabetis  
Et que deciderāt patula Iouis arbore glandes.  
Scythæ autē Armeni, hi enim, argumen-  
tis superatis Aegyptijs cum ijs contendenti-  
bus de generis vetustate, antiquiores semper  
r. Iustinus viisi sunt: constituta politia ex disciplina  
li. 2. Noë; spreuerunt mercatores, solis pascendis  
pecoribus & armentis intenti, aurum & ar-  
gentum perinde cōtemnētes ac reliqui mor-  
tāles appetunt. Ita cum nihil alienum con-  
cupiscerent, hæc continentia illis mōrum  
quoque iustitiam dedit. Quippe diuitiarum  
& mercium cupidio ibi est: vbi & vñs.  
Tamque hæc politia eis bene successit, vt  
virtute animi, armis & duritia corporis  
præstantes, perpetuo ab alieno imperio aut  
intacti aut invicti permanserint, sibi ta-  
men virtute & viribus multas regiones sub-  
didetint: non prædæ, sed solius victoriæ &  
gloriæ, quæ illam consequitur, causa. Ea-  
dem ratione Satarchæ populi Septentrio-  
nales

nales ad Paludem Mæotim vergentes, bellicosissimi, vsu auri argentiisque damnato, in æternum se à publica avaritia abdicarunt v. Simili modo Axiaceæ in Europa siti, bellorum audissimi aliena non contingunt. Narrant Historiographi Seres frugalissime & pacatissime inter se viueat, armorum semper & præliorum expertes, cu*ius hæc præcipua adfertur ratio, quod vi-*  
*tent reliquos mortalium cœtus, & solum*  
*modo sua filia & serica aduenis venden-*  
*tes, nihil ipsi comparent aduentitium* y.  
*Idem ferè olim de omnibus Septentriona-*  
*libus regionibus proculdubio secutis in eo*  
*instituta maiorum Noë, videlicet & filio-*  
*rum eius. Nunc de Aegyptijs : fertur apud*  
*eos, literas, Astrorum cursus, Geometriam*  
*artesque plurimas fuisse repertas : optimas*  
*insuper constitutas leges, horum maximum*  
*esse argumentum, annis amplius tribus mil-*  
*libus & septingentis indigetes reges Aegyp-*  
*to imperasse, eamque prouinciam cætera-*  
*rum orbis esse felicissimam: quæ nullo pos-*  
*sent pacto fieri, nisi optimis moribus & le-*  
*gibus vexissent, eruditique omni doctrina-*  
*rum genere fuissent.*

Huius causa quoqñot plurimū doctrina-

C 4 excel-

D E S P O E L I C I E T

excelluerūt, in Aegypto fuisse, ut leges eorum

**a** Diod. & studia cognitione digna perciperent.  
Sic.lib.1. Horum ergo politia, ut propius ad rem ac-  
cap.6. cedam, in triplici tantum hominum gene-

**b** Diodor. re consistebat. **b**. Agricolarum, pastorum,  
Sic.lib.3. & opificum. Agricolæ per omnem ætatem  
rei rusticæ vacabant, eodem modo pastores  
curæ & arti regendi pecoris insudabant. Ar-  
etes admodum exultæ & ad summum per-  
ductæ erant. Nec censebatur mercatura, in-  
ter eorum vitæ genera, neque exteris nego-

cijatorib' dabatur aditus. Psammiticus enim  
postremus ferè regum Aegypiorum, ut scri-  
c.lib.3. **c** Diodorus Siculus, primus cæteras na-  
tiones ad importanda, quæ apud se erant, al-  
lexit, securitate singulis adeuntibus præbita.

Apud superiores enim reges, nulli externi  
ad Aegyptum nauigabant, saltem negotia-  
tions ergo, cum partim occideretur, partim  
in seruitutem redigerentur. Hæc ille. Facile  
tamen crediderim, ductus testimonio sacra-

**d**. Gene.37 Scriptura, diu ante tempora Psammitici  
aliquos mercatores admissos fuisse. Sicut le-  
gitur de Ismaelitis qui aromata resinam ac  
stacten ferebant in Aegyptum, quod fiebat  
anno à diluvio quingentesimo quinquagesi-  
mo nono. Nam si velim recensere quot gen-  
tes ne-

tes neminem ad se, aliqua de causa adire posse fuerint, & omnium hominum commercia fugerint nimis longus sim. Tauroscytha ijs quos cœperint amputant caput. Antropophagi captorum hominum carnes vescuntur. In medio terrarum Sicilia & Italia fuere, huiuscmodi monstri gentes: Cyclopes & Lestrigones, & nuperrimè trās alpes (inquit Plinius, e.) hominem immolari soliti, quod paululū à mandendo abest. Phœnices populi Asiae nomen sortiti sunt ταρχα το φονευει, quod ab initio αγισq; generis appulso homines pro victimis feriebant. Garamantes omnium hominum commercia aspectumq; refugiunt. Sed ad propositum reuertar. Si Aegyptij-coloni sunt Aethiopum deducti ab Osiride filio Cham ex Rhea, et plurimæ leges ab Aethiopibus ad Aegyptum translatæ fuerint, vt tradit Diod. Siculus f., colo-  
nis maiorum servitibus instituta, verisimile est, eodem modo quo Aegyptiorum, ante constitutam fuisse Aethiopum politiam, nullumque mercatoribus apud eos fuisse locum. Præsertim apud Macrobios qui leguntur iustitiam colendo, amando æquum & bonum, aurū, viliore loco habuisse quam æs. g. Ne autem credas, vel audibile illam Aegyp-  
tiorum

e. c. nat.  
hist.c.7.

f.lib.4 c.1

g. Pompe  
incl.lib.3.  
cap.10.

DE F O E L I C I . E T . . . .  
tiorum institutione , parue loco fuisse con-  
clusam scribit idem Diodorus<sup>h</sup> , Olim Ae-  
gyptum numero hominum , omnes ferè or-  
bis gentes superasse . Oppida insignia , ciui-  
tatesque priscis temporibus ultra decem &  
octo millia fuisse in Aegypto . Ptolomæi La-  
gi tempore , amplius tria millia , quæ & usque  
ad nostram , inquit , etatem perdurant , annu-  
merata sunt . Vniuersi populi numerum fuis-  
se antiquitus septies decies centena milium :  
nunc haud pauciores esse ter decies centies  
milibus tradunt . Hæc ille . Porro Indorum  
gens in Asia , maxima inter cæteras or-  
bis , optime fait constituta . Argumento est ,  
quod nullis vñquam eis rex aduenia impe-  
rarit ante Alexandrum Macedonem : quod  
mirum est de tam numerosa gente . Com-  
memorant namque Indiam tam vastam ut  
diu credita fuerit tertia pars esse terrarum .  
Oppidis adeo exultam , ut in ea fuerint  
quinque millia præcipua capacitate , popu-  
lorum nouem millia : Quia soli Indi nun-  
i. Soly. in quam à natali solo recesserint <sup>i</sup> . Vniuersa  
poly. c. 55 igitur gentis Indorum olim in septem ordines  
k. Dio. Sic. diuisa fuit <sup>k</sup> , quorum primus philosopho-  
lib. 3. c. 10. rum erat , secundus agricolarum . Tertium  
ordinem conficiebant omnis generis pasto-  
res .

res. Quartum locum tenebant artifices, quorum pars armis, pars rusticis instrumentis, alij alijs utilibus rebus fabricandis vacabant.

Hi erant non solum immunes à tributo, sed frumentum insuper à regia percipiebant. Et cum lege cautum esset, ut qui membro aliquo quempiam orbasset, non modo talionis poenam subiret, sed etiam manu truncaretur: si quis artifici manum oculumve ademisset, capitale erat. Tantum nimirum tribuebatur artificibus. Quinto ordine erant milites, sed numero secundi. Sextus erat ordo Ephororum siue superintendentium. Septimo loco existebant, qui publicis consilijs præerant, numero paucissimi, nobilitate prudentiaque maxime insignes. Nusquam mentio mercatorum, nullo honore aut numero censebantur. Arabes qui & ipsi longe lateque diffusi sunt, diuersis, ut author est Solynus, moribus viuentes & cultibus, commercijs student, aliena non emunt, vendunt tantummodo sua, quippe & syluis, & mari diuites<sup>1</sup>. Gammantes, teste eodem Solyno<sup>m</sup>, fugiunt commercia, & nulli se externo miseri finunt. <sup>poly.c.34</sup>

Vt ad Italiam descendam, consentiūt in eo voto-

res, cre-

<sup>1.</sup> Solynus  
poly.c.; 6.  
<sup>m</sup> Solynus

DE FOLICI ET

res, creuisse eam non mercatura, sed exercitio vita rusticæ, quod etiam denotat Vergilius, laudans nō vitā rusticam à priscis etus vītā cultoribus, in hunc modum.

*Hanc alim veteres vitam coluere Sabini.*

*Hac Rem⁹, et frater: sic fortis Hetruria crevit:*

*Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma.*

*Septemq; una sibi muro circundedit arces.*

Si altius repetas, repieres quem Gentiles Ianum, nos Noen vocamus, anno decimo nono Nini regis Assyriorum, venientem in Italiam (quia intellexerat Cham filium suum corrumpere ibi iuuentutem) primum Italiam formasse bonis institutis & legibus, docuisse Theologiam, Physicā, Astronomiam diuinationes, ritus, & rituales cōscripsisse, &

o. vero li.  
5. de Nino  
nlio Gen.

in re rustica, non in mercatura instituisse. o

Primi vero patres, ut ex sacris edocemur biblijs, Abrahamus Isahacus, Jacobus, & alij horum filij, quin & Moyses & David in re gione Syriae, studuerunt alendis pecoribus quæ & victū & amictum homini ministrant, & tota eorum substantia in re pecuaria con-

p.c. cotum  
aq.;

sistebat. Vnde nomē pecuniaꝝ p, quod apud

eos vnum hoc usurpabatur delitarum & diuitiarum genus. Non dissimilis fuit vita veterum Germanorum quibus numerosa armenta,

menta, solæ & gratissimæ opes erât q. Simi-  
lis quoque vita Hispanorum: siquidem tem-  
pore Geryonis regis Hispanorum, vt recen-  
set Iustinus <sup>r</sup>, armenta, solæ opes, habita  
sunt. Idem ferè traditur de veteribus Gallis.  
Et factum est successu temporis, vt comme-  
moratæ gentes cum nullas noscent delicias  
præter pecora, licet optimis legibus, literis &  
philosophia formatæ fuissent: Germani qui-  
dem à Tuyscone gygante anno quarto Nini  
filij Nini: Hispani eodem tempore à Tubale  
quintogenito Iapeti: Galli à Samote <sup>t</sup> (qui <sup>s</sup> Berol. li. 5  
ita dictus est à sapientia qua eiusdem ætatis  
omnes præcedebat) quia difficillimū est me-  
diocritatem seruare, cum nihil haberet quod  
eorum animos eneruaret, magis declinarint  
in ferociam, minus malū, quam in mœltiem.  
Nam restatur Cæsar reperisse se Germano-  
rum vitam consistere in venationibus atque  
studijs rei militaris, agriculturæ non studiis-  
se, maiorem partem vicitus eorum in laete,  
caseo & carne constituisse. Et Tacitus notat,  
eos natura sua contemptui habuisse aurum  
& argentum, & ægrè tandem permutacione  
mercium vsos. Veteres Hispani fuerūt duri,  
laboris patientes, & semper bellicosi, malue-  
suntque habere bellum quam ocium. Cumq;  
extra-

q. Cornel.  
Tacit. ne  
mot Ger-  
man.

<sup>r.</sup> lib. 44.

<sup>t.</sup> lib. 6. de  
bell. gall.

v. de mor.  
German.

D E F O E L I C I E T

extraneus abesset hostis, ipsi domi excitarunt  
seminariū discordiæ & belli. Anteposuerunt  
militares equos atque arma bellica proprio  
sanguini. Fœminæ res domesticas, agrorūq;  
culturæ administrabant, viri vero armis &  
rapinis inferuebant. Gallis antiquis ferox  
erat ingenium, ingenita simplicitas, maius  
bellorum quam agrorum studium, plus vi-  
rium quam consilij in bella cōferebant. Fuit  
**x 6. de bel.** enim tempus, teste Julio Cæsare **x**, cum  
**Gall.** Germanos Galli virtute superarent & vltro  
bella inferrent, ac propter hominum multi-  
tudinem, agriq; inopiam, trans Rhenum co-  
lonias mitterent. Idem Iulius Cæsar de Sue-  
**y. 4. de bel.** uorum moribus ita scribit **y**. Sueuorū geas  
**lo gal. Eu-** longe maxima ac bellicissima Germanorū  
**tro epith.** omniū: & post pauca. Mercatoribus est ad  
**bell. gall.** eos adicu magis, eò, vt quā bello cœperint,  
quibus vendant, habeant, quā quo villam rem  
ad se importari desiderent. Iam vt vnum  
atque alterum exéplum adferamus ex Græ-  
cia. Olim Athenienses prudētissima ciuitas,  
nullum ciuitate donabant, nisi opificem, qui  
cum tota domo se Athenas contulisset, aut  
perpetuo exilio, natali solo pulsus esset. La-  
cedemonij olim, querū p̄r ceteris in Græ-  
cia status Reipublicæ laudatur, peregrinos  
amoue-

amouebant, non modo ne frugalitas quam sponte elegerant & contemptus auri permanerent, sed etiam ne ciues versutias atque dolos à peregrinis haurirent <sup>a</sup>. Sciebat enim optimus Legislator naturā ad peiora quæq; procluem esse. Plato sapientissimus philosophus, in secunda illa & Republica perfecta, quam descriptis dialogo quinto de legibus, proximè accedente ad Rempublicam in qua omnium rerum sit communio, cum partitus fuisset domicilia agrosque in quinque mille & quadraginta, noluit quenquam qui de quadraginta & quinque millibus domorum esset, cauponem mercatorum nec sponte nec iuxitum fieri. Fecerunt ergo Græci sapientes, pluris opifices, quam mercatores nec iniuria, quia postmodum per mercatores, ut ex Cicerone hoc deplorante ostendimus, luxuria & Ignavia in Græciam migrarunt. Britannia (Scotia comprehendendo) insula tam ingens ut pene nomen orbis alterius mereretur, ante tempora Iulij Cæsaris fuit incognita, & tū primū extranei commercia cum Britannis facere cœperunt, cum victoria potius Insulam aperuisset <sup>a</sup>. Testaturque Solynus <sup>b</sup> Britannos etiam suo tempore custodisse morem vetustum, nun-

*Z. Xenop.  
de rep. La-  
ced.*

*Tacie. in  
in vita Iu-  
lij Agri. &  
Eutr. epit.  
bel. gall.  
a. Dio. Sic.  
lib. 6. c. 8.  
b. in poly.  
cap. 25.*

dinas ac numos refutasse, dedisse res & accepte-  
sse, mutationibus necessaria potius quam  
prethys darasse. Quis moris vestigia etiam-  
num videntur durare, cum ipsi Britanni suas  
merces extra regionem ferant diuendantq;  
ut at se patriciores alioqui adnauigaturos ad-  
mittant commenti in eam rem legem inge-  
nirofissimam. Nam quid aliud est prohibere  
ne pecunia signata e regione deferatur, quam  
mercatores exteris minimè aspera constitu-  
tione, & sine cuiusque exacerbatione, ac  
quas phaleratis verbis frequentem nrauibus  
aditum recusat. De Luerna vero, quem  
vulgis Irlandiam vocat, idem iudicium est,  
quod de inhospita & inculta anteá Britania,  
figidi & hi crideles & agrestes mores ser-  
tiarunt, donec coniunctio aliarum gentium  
honeliores humanioresque mores paulatim  
inflibissent. Burgusones veteres, fabrilibus  
ministerijs atque agricultura, vitibusque co-  
lendiis quæstrum fecisse proditum est memori-  
a, interque eos primas tenuisse, qui præ ca-  
teris in his rebus essent insignes. Penes hos,  
dicendi magistratus potestas erat: addo ex  
re rustica & artibus fabrilibus omnia pendé-  
bant. Nicolás Melites insula, quam nos vul-  
go Maltam vocamus, asserit Diiodorus Si-  
culus,

ulus & fortunatos existimari, non à mercatoribus, qui tamen eo nauigantes propter plures quos habet tutos portus, eandem gloria et opibus auxerunt: sed quoniam varij generis artes exercerent et optimas facerent lineas telas, tum tenuitate tum mollitie spe-  
Etatas d. Utq; nec præclaro generoso ve-  
tu, mercatores immodice efferauntur: fama  
est, primos mercatores, qui merces in alias  
regiones nauibus portarunt, fuisse illos quo-  
rum modo memineramus Phœnices, de qui-  
bus quidam sic cecinunt: *... etiam invenimus*

d. Bayfius  
de re ve-  
stiar. c. 17

*Primis per equora vectis  
 Instraverat salum, primi docuere carinis  
 Ferre cauis, orbis commercia, etc.*

Eosque præter alia virtus infatiabili auaritia raptos fuisse: illinc constat, quod cum durante incendio syluarum in Pyreneo, ex montibus flammatum vel copissent descendere stillicidia argenti liquefacti: & habita- tores illorum locorum usum argenti igno- rantes, metallum illud contemnerent: super- uenientes in Hispaniam & mercatores è Phœ- nicia, emerint vili terri permutatione mag- niam argenti vim, & in Graeciam, Asiam, ac nationes cæteras, detulerint. Adeoque ut & nunc ferè sit excitauit, eos questus cupidi-

e. Pompei  
Met. lib. 1.  
cap. 12.

f. Dio. Sic.  
lib. 6.c. 7.

D tas, vt

tas, ut cum onustis nauibus superaret argen-  
tum, amoto ab ancoris plumbo, argentū eius  
loco subderent. Quin lucro Phœnices admo-  
dum opulentī facti, plures colonias, tum in  
Siciliam propinquāsque insulas, tum in Ly-  
biam Sardiniamque ac Iberiam destinārunt.  
Et hæc quidem in genere recensuimus. Illud  
autem omittendū non est, ferarū quas com-  
memorauimus nationum mores agrestes &  
incompositos, tamdiu durasse, donec extre-  
sorum præsertim mercatorum, eorumve qui  
eas debellarunt commercio paulatim immu-  
tari contingit & politiores fieri.

Verum enim uero ea mutatio, merū, quod  
dolendum plurimum est, ferè fuit in peius.  
Cum enim virtutis vnicaratum sit via, dif-  
ficile fuit quin peregrinarum rerum notitia,  
molliores effecūs sunt, quæ ante non inuerat  
severæ ac fortes. Quamobrem Romani hac  
arte in stabiliendo imperium in diuersis pro-  
uincijs usi sunt, ut deuictos à se assuefaco-  
rent operam dare; quieti & ocio per volup-  
tates, & rerum effectionib[us] ad affectioney  
v[er]e mitesceret & ne rebellionem meditarena-  
tur. Et hæc vitiiorum delinimenta, imperitijs  
sicut prodit Tacitus de Britannis, humanitas  
tem vocabant, cum potius pars seruitutis  
essent.

g. in vita  
luij agri-  
col.

essent. Prædicauit enim Cæsar omnium Gal-  
lorum fortissimos Belgas, propterea quod à  
cultu & humanitate prouinciæ Narbonen-  
sis longissimè abessent. Qua ratione & Ger-  
mani, quia mediterranei sunt, & Oceanus il-  
le germanicus nauigatu periculosus ac ig-  
notus, raris ab Italia Græciaque nauibus adi-  
batur, diutius retinuere priscam illam & ru-  
dem simplicitatem. Sicq; in sua inopia, ege-  
state, patientia Germani permansere, eodem  
victu & cultu corporis vtentes. Et adhuc  
auitæ ferociæ plusculum retinent<sup>i</sup>. Non <sup>i B. Rheno</sup>  
est itaque peius, imò melius cum ijs actum,  
quam cum populis, exterorum mercatorum  
commercijs contaminatis. Nemo est qui tam  
bellicosos dicat Sueuos quam olim fuerint.  
Et in causa esse arbitror, quod ut olim bel-  
lis, ita hodie potentiores Sueorum ferè  
omnes mercaturæ vacant. Iam vt superiora  
exempla amplius etiam rationibus corrobor-  
remus: hoc perpendendum est, in vniuer-  
sum omnes gētes postquā dominia rerū fue-  
runt distincta, vslas esse permutationibus. Ex  
quo efficitur, quamdiu inter gentes mansit  
permutatio, non fuisse frequentatam mer-  
caturam de vna in aliam regionem: sed cœ-  
pisse inter eos qui longo terrarum spacio

D 2 disiuncti

## DE FOLICIS

disiuncti essent , inuenta primum emptione & venditione . Nam vt declarat Aristoteles <sup>k</sup> , cum externo auxilio opus foret vt ex remotis partibus necessaria adueherentur , & ea quibus homines abundabant , exportarentur , ex necessitate fuit pecuniæ vsls introductus , quoniam omnia quæ natura necessaria sunt , non facile deferri poterant . Quid itaque mercator egisset cum suis mercibus in alienis regionibus ? Primum suas deferre molestum admodum erat , neque enim omnibus equi sunt , nec omnibus nauis aut cursus copia contingit , & vt contingat , fieri potest vt nauta vel auriga non egeat ijs rebus quas mercator pro vslu nauis currusve vicissim offerret . Iam etiam si suas res cum alijs permutasset , in eodē hæreret luto , siquidem idem incommodum incideret in easdem deferendi domum , quo laborabat in adferendo . Deinde venditor forte emptoris aut emptor venditoris opere non egebat . At indigentia est causa contractus ineundi , quādoquidem cum vterque alterve nihil alterius detiderat , contractus inter eos nullus solet interuenire <sup>l</sup> . Omitto difficultatem in revocandis mercibus ad æqualitatem deficiēt pecunia , quæ inter domesticos ciues satis grauis erat , nedium

**I. Arist.**  
**eth. lib 5.**  
**cap. 5.**

nedum fuisset inter extraneos leuis. Ob eāsq;  
causas introductus est numus ex instituto <sup>m.</sup>  
Et post numum cœpit emptio & vēditio <sup>n.</sup>.  
Sed videtur, inquiet quis, peius aëtum cum  
hominibus eo sæculo quo numus in vſu non  
erat. Imò verò multo melius. Quādo quidem  
permutatio ad sordidum illiberalémve quæ-  
stum qui ferè scopus est omnium mercato-  
rum (vulgò enim vt fertur, Lucri bonus est  
odor ex re qualibet) non pertinet: sed præbet  
solumnodo ea quæ secundū naturam neces-  
faria sunt. Placet hic optare cum Plinio <sup>o.</sup>, o.li.33.c.8  
O vtinam pos sit è vita mortalium in totum  
abdicari aurum sacra fame, vt celeberrimi  
authores dixerunt, proscissum conuitis ab op-  
timis quibusque, & ad perniciem vitæ reper-  
tum. Quanto fœlicius ænum, cum res ipsæ  
permutabantur inter se, sicut & Trojanis tē-  
poribus factitatum, Homero p. credi conue-  
nit. Sunt enim commercia victus tantum  
gratia inuenta non quæstus & lucri. Hinc il-  
læ lachrymæ. Sic omnia fatis in peius ruunt.  
Primis enim temporibus erat vita commu-  
nis & rerum omnium communio, antiquissima  
perfectissimaque viuendi norma. Sed ei  
inuidit inimicus, & propter hominum im-  
probitatem successit rerū permutatio, com-

m. Arist.  
d.loco.  
n.l i. ff. de  
cōtr.emp.

p. lib. 6.  
Iliados.

munione deterior , emptione preciosior .  
 Tertio subiit ferrum argentum aliudve me-  
 tallum, primo simpliciter definitum magni-  
 tudine & pôdere. Postremò adiectus est cha-  
 q. polit. i. racter, vt homines mësura leuarentur q . Et  
 c. 6. enini signum positū est ad quantitatē de-  
 monstrandā. Et hi sunt gradus labentiū tem-  
 porum, quorum occasio fuit rerum externa-  
 rum insatiabilis cupiditas: quæ ad se explen-  
 dum, mercatura vſa est. Ex prædictis diuersa  
 rum nationū constitutionibus vel politia in-  
 telligi potest, priscos populos ignorasse pror-  
 sus omnē negociationē , quosdam neglectui  
 nulloque numero habuisse, aut nō nisi graui  
 habito delectu vſos fuisse in admittēdis mer-  
 catoribus, alios sua vēdidiſſe, aliena nō com-  
 parasse. Deniq; vbi negociatio frequentata  
 fuit: vt plurimū plus mali quā boni inuexisse,  
 Econtra nullas gētes sine opificib; vixisse,  
 & eosdē inter præcipuos ordines recensuis-  
 se & retulisse. Sed de his hactenus, nunc ad  
 deorum figulos poëtas transibo , qui sub fa-  
 bularum inuolucro , ne quem offendenter,  
 voluerunt veritatem latere . Fingunt itaque  
 Mercurium præsidere furto & mercaturæ,  
 tūm quod ad quæstū faciendū plurimū pro-  
 desset, tū quod nihil intersit inter negotian-  
 tis ra-

tis rapinani atque peritrium furantisque de-  
ierationem ac raptum. Tacite innuētes pau-  
cos reperiri iustos mercatores , quod certe  
hoc tēpore verū experimur , postqñā & lin-  
guā cœpit esse in quæstu: quapropter cum à  
prædominante frat̄ denominatio, & conside-  
retur id quod ut plurimum , non quod raro  
euenit <sup>r. 1. 3. 4. & 5.</sup>, à communiter accidētibus appell-  
larunt Mercurium præsidē furti. Porro eun-  
dem pingunt pennata talaria ne tentē, quod  
negociantium pedes vbiique pergendo quasi  
pennati sunt. Virgam habentem serpentibus  
nexam , quod mercator modo diuitijs suis  
æquet scepta regum, & breui post tempore  
accipit vulnus quasi à serpentibus, quo  
Irus erit subito, qui modo Cræsus erat.

Galero & gallo coopertum caput, quod om-  
nis negotiator ut plurimum inuigilet cū per  
mare per terras currit , vix vnqñam securē  
dormiens. Gallum enim excitandis in opera  
mortalibus, rumpēdoq; somno genuisse pro-  
uidētia diuina videtur. Præsidē verò artium  
mœchanicarū & inuentricē, singunt Miner-  
uā, eademq; ex Iouis vertice nata esse, nimil  
rū ab ingenio. Omnes enim eius inuentiones  
sive artiū sive bellicorum stratagematū (est  
enī eadē dea belli) ex vi ingenij atq; sapiētiae

D 4 proce-

## D E F O E L I C I E T

procedere videntur. Hanc fingunt armatam  
Gorgona habentem in pectore, quasi terro-  
ris imaginem, eo quod ciuitas quæ recto in-  
genio gubernatur sive sapiëtia adiunctis ar-  
tibus mœchanicis, sit rectè munita. Veste tri-  
plici subnixam, quod non modo vi ingenij,  
sed etiā exterioribus exercitijs pluribus ful-  
citur. Longam hastam vibrantem, quod ci-  
uitas in qua illa principatum tenet non mo-  
do non mollescat ocio, sed cum hoste semi-  
per parata sit prælium conferre, finēsq; suos  
tueri. Fingitur eadē virgo immortalis, quod  
ciuitas in qua regnat Pallas nunquam vinca-  
tur, nec vñquam ocio torpescat, luxuria ve-  
rò desidiaque vacet, incolumis, viridis, ac vi-  
ribus integra permanens, ideoq; effugit im-  
perium Cupidinis, filij Veneris, cui Iuppi-  
ter, Neptunus, & Mars succubuere. Sed ut  
ad rationes vnde digrediebar, redeam, pri-  
mum sic statuo eam fœlicem esse Rempub-  
licam, quæ stabilis ac diuturna est, & econtra  
infœlicem eam quæ instabilis est. Quo con-  
cessio, docebimus rempublicam eam quæ ar-  
tificibus mœchanicis munitur proprijs fun-  
damentis niti, illam verò quæ exteris natio-  
nes vt Hispanos, Italos, Germanos, Anglos,  
Francos, Venetos, aliud accersit ut maxime  
nume-

numero ibi negocientur: excipiens hominum cuiusque generis multitudinem in statione suam, niti mutuatitijs auxilijs. Et consequenter illam diuturnam, hanc verò subinde ruituram. Nam opifex mœchanici indigenæ, educati in vna regione, inter quos, leges & mores ijdem constituti, tum iuris æqua descriptio certaque viuendi disciplina per quas bene beateque viuitur, quibus denique est par genus, similis lingua, communis usus, cultusq; virtus, hi naturali amore afficiuntur erga conciues & patriam s , quia s.l. veluti. simile gaudet simili, & æqualitas, ut est in ff de Inst. proverbio, est altrix & nutricia pacis. Quæ & iuventu quidem sunt apud philosophos demonstratio- glo sing. nes usu rerum confirmatae. Qui amor er- in l. fin. C. ga natale solum compellit hominem perpetuo manere in ciuitate apud sui similes, nisi si ser. exp. véd. Dio. Sic lib. 4. cap. 3.

quod aliquando quidam matrimonio exte-  
ris coniuncti, vel propter excellentiam ali-  
cuius artificij aut similibus de causis, trahantur aliorum. Sed abitus & emigratio quo-  
rundam priuatorum in republica præsertim  
populosa paru[m] vniuersitati nocet, & si multi  
excedere ciuitate vellent, magistratus quo-  
dam iniuncto munere publico retinebit, &  
astringeret, in alios suam ditionem, & has exer-  
cebit,

eebit, omnes deniq; remorabitur partis bonorum multa denunciata, aut alijs legitimis modis ab eo proponendis. Quanquam propter commemoratas rationes, priuilegia quibus à suis principibus ciues præfertim in ciuitatibus priuilegiatis, dotati sunt: efficiunt ut empide ciuitate fruantur. Est tamē & alia ratio, cur opifices perpetuo in vna ciuitate habitare optēt, quod nimirum omne eorum lucrum consistat in concursu & frequentatione plurimorum qui eorum fabrifica arte emunt. Nam si eo redigatur opifex ut sua cogatur offerre quibusvis emenda, vili venderet, mercx enim vtronea putet, hoc autem cōtingeret opificibus in aliam ciuitatem emigrantibus. Ciues enim cuiusque ciuitatis plerunque habent delectum ciuium & peregrinorum in emendo aut contrahendo, & peregrini quia incogniti nec celebres sunt, iacent nec habent quod operetur, nisi prout euentus fert, occupantque extremū. Mauult ergo & cōsiderate agit opifex quod maneat in vna republica, vbi ipse notus est aut parentes sui egerunt vitam vulgo noti. Nam qui parentes aliquādo cognorunt, ex huiusmodi familiaritate deueniētes in cognitionē filiorū libenter eos præ alijs eligunt & adēnt.

Idcir-

Idcirco etiam quod qui habuit maiores suos  
alicuius artis peritos, si ipse in ea se exerceat  
præsumitur itidem bene peritus <sup>c</sup>. Illinc sit  
vt multa ijs occurrant fabricanda, in quo si-  
tum est præcipuum fundamē operariorum.  
Nam nihil miseratione dignius opifice, cui  
cum animus sit in labore cōparare victum,  
deficit quod operetur destituiturq; opificio  
nec frequentatur. Ecōtra cui abunde adiuci-  
tur quod cōficiat, & cui operi opus accrescit  
& repullulat necessario prospere ager, si alio-  
qui sit honesta & tēperata vitæ, nisi occulta  
aliqua de causa à superis puniatur. Et ita effi-  
citur quod indigenæ mutuo se agnoscentes,  
amātes, & inter se cōnexi, vltro citroq; cōtra  
hūt, alter alterū sustētates. Nam cū in repub-  
lica plures sunt ciues, & vniusquisq; aliquot  
opinciū exercet, iij ciues in vnū collati, & al-  
ter ab altero depēdetes, quasi vnū hominē cō-  
stituūt, q multiplici arte pollet, oculis plurib;  
cernit, operatur manib<sup>o</sup> multis, & pedib<sup>o</sup> pe-  
pē infinitis nititur. Et hæc verè vna eit Res-  
publ. de qua vberi<sup>o</sup> suo loco. Sed quādoquidē  
populares operis populariū nō tā abūde vtū-  
tur, vt operarij indevitā tueri queāt, ideo ad-  
mittim<sup>o</sup> negotiatores in repub. præferti indi-  
genas, q opificib<sup>o</sup> abūdāter suppeditē opera-  
facien-

12 § sed  
anat C de  
vet. Iur.  
enuc.

facienda, & eorum fabrefacta opera euehant  
in regiones in quibus ijs opus est, vt exoticas  
merces rursus inde aduehant, & ciuitati ne-  
cessaria. Quēadmodū Brugis panni lanei qui  
conficiuntur in Septētrionales regiones eue-  
huntur, quæ vicissim subministrant alia, vt  
axungiam, seuum, picem, frumentum. Panni  
gossypini in Hispaniā, vnde rursus frumen-  
tum, vinum, lana & aurum. Amphimalla te-  
nuiores panni, & versicoloria peristromata,  
in Italiam, & inde in Turciam, vnde ad nos  
sericum, panni bombycīni, holoserici & sub-  
serici, ad luxum inuenta & quibus possemus

v. Soly in  
poly. c. 53.  
x. 1. de re-  
pub.

carere v, Quapropter Socrates apud Plato-  
nem x censet non solū ea opera debere con-  
fici, quæ ciuitati sufficerent ad cultum & vi-  
etum, sed qualibus & quot illa indigeret, ob  
aduentias nimirum eam frequentantes & hu-  
ijsmodi quærētes, vt in aliam regionem eue-  
herent. Et huiusmodi quidem Respublica in  
qua ἀτόχθοις opifices singuli ita operantur  
ad quod natura apti sunt, non potest perire,  
sed semper sui similis permanebit, & peren-  
nis successione, nihilque mali aut infelicitä-  
tis ei potest accidere, nisi fortè bellum mer-  
catori aditum & exitum intercludat, vt cum  
velit exire nō liccat : quæ fortuna etiam em-  
porijs

poris præcipue fundatis in peregrinorum & aduentitorum commercio communis est. Sed respublica cuius præcipuum fundatum cōsistit in aduenis & exteris, in qua qui artificium necessarium vel alijs vtile humano generi arte & manu exercent: seruiunt exteris in onerando, exonerando & alijs modis, nititur fragili fundamine. Nam cum servilibus officijs intenti ætatem agunt, mercatore deficiente, vna corruunt, quia nullum artificium liberale callent, sed tantum noti sunt pro vehicularijs vel mercenarijs. Quod si antea fuisset incognitum, nuper est cognitum. Patuit enim non ita diu Antuerpiæ, absente ad tempus anglica natione, quot homines plebei hoc incommodum senserint. Videbatur enim iam ex parte ruitura ciuitas, & fortassis sic erat futurum, nisi Senatus sanctoribus consilijs eius denuo præsentiam, mercaturamque impetrasset. Et hæc tantum vna fuit natio, quidenses futurum fuisse, si aliae nationes itidem defecissent? Rursus quibus locis paratur sericum, plurimi à teneris vnguiculis operantur (non est id artificium utile aut necessarium) iam si mercator eis adimat sericum: (fit enim hoc saepè ut experientia nos docuit & etiam docet) nihil prorsus habent,

## DE FOELICI ET

habēt, cuius auxilio nīsi, per ignauia & imperitiā artificij liberalis degere possint, verum ē vestigio inertes & nōm abiectissimi deprehenduntur: segnes crudelis egeitas opprimit, hos hoies odio superiq; sequuntur. Nec enim facile fit, vt qui se ad stipendiariū cōtuberniū cōtulerūt, id vitæ genus relinquētes, artificiū aliquod liberale addiscāt, quidā enī ex illis iā sunt p̄rectioris ætatis, qui totū tēp<sup>o</sup> cōtruerūt in huiusmodi operis, quos vel pudet vel tædet iam aliquid discere. Alij sunt adolescētes, & prout in ea ætate cum sanguine simul perturbationes animi effrenatius adolescūt, patiuntur à cōtubernalibus & consodalibus se seduci, vinarias tabernas inuisunt, deniq; alienū æs grande constant, vt cum nihil possideant nihil lucentur, vel cogātur ostiatim medicare, vel forti seruitutis se subiūcere. Et vt maxime aliquod opificium iam addiscāt, nunquā euident in eo perfecti, quia à teneris annis (vt vult Socrates) oportet quēq; artificijs atfluefieri. Et hæc pluraq; ex aduenarum commercio nascuntur incōmoda, quæ in republica opificibus constante, nullū locū libi vendicant. Quandoquidē si alicuius artificij vius in ciuitate intercidat, nec frequentetur (quod raro fit) artifex nōiter quoquā terrarum

y. I cap. 1.  
12. q. 1.

rit abierit, potens est victū lucrifacere. Et illi qui seruiūt opificibus nostris, ijs seruiūt qui nō deficiūt, & à quibus peritiores & tādē artifices euadēt, quod nō cōtingit ijs qui toti exercitorū mercatorū addicti sunt seruitio. Deinde vbi aduētitius ille negotiator deficit, non modo ob cōmemoratas iā rationes ciuitas ipsa perit, sed etiam quia in huiusmodi oppidis populosis, cū singuli vixerūt pro suo arbitrio & alij aliorū mores imitati, dediscētes mores patrīos degenerarūt i peregrinorū pessimos aut saltē diuersos mores (vt ad pessima quæq;  
 humana natura est prona: z fit vt mercatoribus aliò migratib<sup>o</sup>, relieti inter se ciues dissentiāt; propter dissimilitudinē morū, quæ dispartitas facit vt respublica nō mode nō floreat, sed ne stare quidē possit. Scripsit Plato. a cit. a. 4. de leg.  
 uitatē quæ mercatura p̄fertim cauponariet  
 est dedita, dolosi animi, instabiles ac infidos  
 mores parere; vt parū ipsa suip̄fius & aliarū  
 gentiū fidē & amicitiā colat. Præterea si ve-  
 lis replicare memoriā téporū constat quales  
 enīq; summi ciuitatis viti fuerūt, tandem ci-  
 uitatē fuisse b. Cū ergo summi viri verfan-  
 tes in emporijs in quibus est opulentia omni-  
 num diuitiarū, sīnt dissoluti; fit vt & opifi-  
 ces ipsi in luxu vita, in opiparis cohabitij, in

100. TITULI

nuptijs

z Gene.c.

8. &amp; Plat.

z. de rep.

z. de leg.

nuptijs & in bellarijs, quam fieri potest maximē eorum vestigia sequantur, præsens tantum tēpus agnoscentes, cogitantes se habere abunde quod arte fabricentur, & ita seipsoſ non noscentes nec intrā fortunam viuentes, deficiente mercatore, qui subministrabat satiſ operis conficiendi, super quo conſiste-  
bant, fiunt omnium miserrimi, casus multis hic cognitus & iam tritus, & ē medio fortu-  
na ductus aceruo. Ciuitas enim nulla le-  
gum potentia quiescere potest, si cuncta ad  
superfluos sumptus erogent ciues, sique fer-  
rijs posthabitjs, coniuiijs & venereis obli-  
etāmentis obnoxie putet operari impenden-  
dam. At vbi non sunt tantæ copiæ tantaq;  
rerum omnium abundantia, cuiusmodi est  
in emporio: est tamen quod satis sit, vt in  
nostra opificum republica, ciues frugales  
sunt, parce viuent & sobrie & seipsoſ nōrūt,  
quo nulla maior est sapientia. Ideoque stabili-  
lis est hæc respublica, illa verò fluxa & mo-  
mentanea, cum deficiente fundamento ca-  
tera corruant. Aduenæ autem & aduentitijs  
mercatores qui non communī utilitatib; sed  
proprijs cōfūlunt, instar lignorum pro aqua-  
rum impetu feruntur, huc & illuc agitantur,  
& facile defierunt statioq; etiam ob mini-  
mam oc-

e. Plato ad  
Diog. epi-  
stol. 7.

Probatur  
mercato-  
res defice-  
re.

mam occasionem vel ob leuem aliquam iniuriam illatam, cum fauor patriæ non comoveat ad manendum. Et facillimè eorum animus ab indigenis alienatur, cum sint alterius linguae, naturæ, conditionis, plerique etiani ex ijs alio loco familiā aentes. Imo vix quicquam pensi habent cōtra Deum & iustitiam, violare fœdera & pacta cū ciuitatibus inita, firmata per principes, sed cōmigrat alio cum mercibus, & ibidem etiam cōtractant. Neq; mutua indigentia neque commoditas portus & loci, neque exceptio gratissimo hospitio, neque amor necessariorum, neq; pudor aut confuetudo retinet inuitos aduenas. Ali quando fit quod mercatores aduētitij exce-  
dant vrbe alioque se conferant iustis ratio-  
nibus moti, veluti propter seditionem vel  
pestem late serpentem aut occultam à Deo  
immissam causam, qui casus ex improviso  
quotidie ciuitatibus imminent, hinc fit ut se  
suaque repente inde subducant. Hic silentio  
prætereo Brugas, libentius enim externa in  
tali re quam domestica recordor: in quibus  
tamē debilitatē magis quam fracta fuit mer-  
catura. Nec enim Brugæ penitus destituta  
sunt omni mercatu. Nam quantum ad la-  
nam attineret, in hunc usque diem retinuerat

E pristi-

pristinam negociationem & mercatorum concursum. Et iam recenter aperta commodissima nauigatione resfrescunt; si licet id quod euenturum est præfigire. Nunc quoq; si vel tatum vna natio relinquat emporium, aliae itidem nationes paulatim deficient. Si quidem ut magnes ferrum trahit, sic mercator mercatorem, nationem natio imuitat & sequitur. Et hæc quidem ha&tenuis. Nunc ad secundam rationem conuertamur. Demonstrandum iam ciuitatem quæ commercijs Barbarorum & exterorum contaminatur, & in ijs potissimum tota cōsistit, seruam & miseram, quæ vero suis opificibus fulcitur, esse liberam. Primum enim quid miserius quam longo tempore ingeti labore grauissimis expensis, ire & redire in ambiendo exteras nationes, in quo ferè euenit quod procis eandem potentibus, aut canibus qui ut potiantur eodem osse morsu decertat: dum sociæ ciuitates idem sollicitan. Quod cum fit exteræ illæ nationes alterutros sollicitatores vanas spe lactat, veretur ne tam magni desiderij fruitatio aut desperatio eos auertat, subtident igitur & pollicetur semper facturæ videtur unde inter ciuitates idem prosequentes sit discordia, siquidem iuxta Platonem <sup>d</sup>, similitas inter

**Argumē-  
tū à serui-  
tute.**

d.7.de re-  
publ.

annu-

semulos nascitur, cuius prima origo ab exte-  
ris, quod indignissimū & merito est deplorā-  
dū. Rursus qui iā deuinctas, imo & sacrī &  
iureiurando obstrictas habent nationes, &  
mercaturā nacti sunt, ijs maxima pars laboris  
restat, in ijsdē tuēdis & retinendis. Nā quem-  
admodum milites mercenarij transfugæ, nūc  
sub hoc modo sub illo principe stipēdia me-  
rent, ita nationes exteræ odorantur sagaci-  
ter, si alicubi spes refulserit maioris quæstus.  
Quod si vspiam maior iuris immunitas ijs  
promittatur, conantur expedire se obliga-  
trone qua deuincta sunt, nodum in scyrpo  
quærunt. In summa captant vndique occa-  
sionem vt discedere à pacto liceat, alioque  
cum mercibus se conferre. Et sic vt magi-  
stratus tam anxiè easdem debeat obserua-  
re, vt non tam præsse & imperare, quam  
seruire & obsecrare videatur. Quas stu-  
duit capere vt ditescat, ab his capitur &  
miserae seruituti mancipatur, quæ indig-  
nitas & seruitus magistratui & indigenis ex-  
trancorum causa non est ferenda. Et quid  
interim nationes illæ, rident in sinu, admi-  
rantur stultitiam consilij. O miseria infi-  
nita. Tandémne emptum tot sudoribus &  
sumptibus quo ridearis & illudaris?

E 2 Sed

## D E F O E L I C I E T

Sed error ille in plerisq; animis altiores egit radices, quam vt extirpari possit, idemque accidit quod ijs qui aulas principum sectantur, illi enim non vidētes se in medijs ærumnis & calamitatibus viuere pulchrè sibi blādiuntur, alios præ se contemnunt, & se omnī fœlicissimos iudicant. Itidem & isti dum in maxima seruitute viuunt, sibi plaudunt, & alios præ se infœlices existimant. Agendum erat prudentius, neque commercia aduenarum tanti comparanda, quod enim his rebus impendebatur, multo poterat collocari melius, cōsultius longè erat à nationum saltem quarundam commercio & amicitia abstinuisse, quod earum amicitia non multo sit

e Eras. Ro bællo tolerabilior e . At certum est nihil tater. In lib. le esse in republica constante suis opificibus de Inst. prin. Chri & manuum mercibus, hæc enim vt diximus stia. semper sui similis est, cum semper artifices maneant in ciuitate, quapropter in his conseruandis vix indiget magistratus imperio, quia suapte natura consuetum & dulce imperium non alpernantur . Quare hæc Resp. verè libera, eaqué parte beata, illa è conuerio serua & misera, denique infœlix. Nunc agen-  
tū ab opib- dum de opibus & potentia. Plurimi enim in-  
bus & po- hoc fallūtur quod fœlicitatem ciuitatis me-  
tentia. tiantur

tiantur amplio censu, pleno ærario, potentia & diuitijs, vt hæc ferè causa finalis sit proposita ijs qui student ciuitatem suam facere mercatum omnibus communem: complures populos in suam stationem transportare si bique coniungere: vt scilicet cæteris dicantur potentia, diuitijs, & censu antecellere, & eo se fœliciores existimant, quo alios his magis exuperant. Sed longè secus iudicant qui rectè sapiunt. Nam ciuitas suis munita artificibus, eo ipso quod opum copijs quæ in emporijs sunt, priuetur, longe fœlicior est, quod hoc pacto potest effici. Primum in eo errat quod diuitias & potentiam posse se putant comparare si velint, sunt enim hæc dona fortunæ quæ eadem largitur quibus vult, nec sunt in nostra potestate. Quare grauissimè declamat Plato, viri ciuilis modo compositionis sit non eam esse voluntatem, vt quam maximam & ditissimam esse velit ciuitatem: auro & argento refertam, ac terra mariquæ plurimum dominantem, sed vt quam optima sit ac fœlicissima. Horum enim aliud fieri potest, aliud potest non fieri. Possibilia igitur velle debet legum fundatorem, quæ incerta sunt futurane sint, necne non velle nec aggressurum, nam vana esset cupiditas. Utq;

e.g. de leg.

DE F O E L I C I E T

maxime obtingant diuitiae, hoc sapientes statuunt statum Reipublicæ bonū virtute potius & pietate, quā pecunia, opibus, potentia, cōtineri, cum finis eiusdem sit bene beateq; viuendi ratio. Ideo omnis res & actio publica & priuata nō ad copiā, gloriam, & potentiam, sed ad iustitiam siue virtutē penitus est

f. Nouell. vt omnes obed. ver. si vero. g. 2. offic.

Nec potest esse iustus (teste Cicero g) qui non contemnit diuitias cæteraque caduca & humana. Sed ubi diuitiae abundanter affluunt: in omni flagitiorū genere degitur, tantum abest ut recte viuatur, ex uno vitio in aliud homines præcipites feruntur, & ex minore in maius. Conuenit huic loco illud Liuij h qui de Repub. Romana loquens. Nulla, inquit, vñquam res publica nec maior nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit, nec in quā tam sero avaritia luxuriaque immigrarint, nec ubi tantus ac tamdiu paupertati & parsimoniaque honos fuerit, adeo quanto rerū minus, tanto minus cupiditatis erat. Nuper diuitiae, avaritiae & abundantes voluptates desideriu per luxū atque libidine perendi perden- dique omnia, inuexere. Hæc ille. Fit autem ut homines primum desidiæ & ocio sese dedat, spacietur, labores aspernetur, amœna loca & voluptuaria perambulet, dormiat priusquam

somni

h. 1. lib. ab  
vrb cōd.

somni cupidus sit, & cū nihil agat, nihil agendo, nate agere discat. Ocio enim addicti capiuntur illicitis amoribus, siquidē ocia Venus amat. Huius comes est luxus in vita. Nam  
 » sine Cerere & Baccho friget Venus, vnde terra mariq; vescedi causa omnia exquiruntur, nō famiem non sicut operiuntur, & inde morbos nimia saturitate vel ocio cōcitatos, sequitur immatura mors. Horū affecta est luxus in vestitu & ornatu. k., qui adhibetur ut spectetur, ut placeant, & ut purpurata simia diues diuitias quoq; foris ostentet. Hæc talia sunt ut in clarissima luce versentur. Et verè ineptus sim si de his latius egero, tamen quod res est dico, nusquam frequentiora cōuicia, dissolutiora sodalitia, delitias, magnifica & opulenta quæque reperiri quam in emporijs: & in celebrioribꝫ in maiore quātitate, ut eadem vincant Syracusanas menas, superent attica bellaria & Corinthium lumen. Qui quidem luxus labefactat clarissimas ciuitates. Testis sit Roma, quæ stetit & floruit cum seruaret maiorum decreta, de non inferendis in urbem vnguentis, odoribus peregrinis, auro, argento, & ferico. At cum placuerunt odorū delitiae & virtutum illecebræ & spretis maiorum decretis &

i. c. netales, de cōsec. dist. s.  
k. Plutar.  
lib. de esu carna.

DE FORTICIA ET

veterum virtute, ingressum fecit Assyriis & Indis negotiatoribus, imbecilliores redditi sunt Romani, sensim defecit potentia; & exinanitas fuerunt eorum opes<sup>1</sup>. Quod sentientes simili, ut retulimus, arte cæteras gentes de-  
lusere, ne viæ rebellionis cogitareret. Deinde si sola patriæ fertilitas, fructifera rerum omnium copia ad inertiam & voluptatem homines trax-  
ducit, ut author est de Tyrrenis Diodorus Siculus<sup>m</sup>, qui priore virtute abiecta potui-  
scatq; ignauiz tradentes, haud iniuriant partam  
maiorum suorum in bellis gloria amiserere. Si  
in huiusmodi patria admittamus mercatores  
qui omnium rerum abundantiam suppeditent,  
non intelligo quid sit aliud quam oleum ca-  
mino addere. Quod si reipublicæ nostræ co-  
tingat ager sterilis, iubebimus eius inhabita-  
tores ingenia sua excolere: quemadmodum  
faciebant Corinthi, qui cum sterile agrum  
haberet, ita ingenia sua excoluerunt, ut nus-  
quam gentium tam ingeniosi artifices inue-  
nirentur: ut incertum sit magis negotiatori-  
bus artificibus Corinthus admirationi fue-  
rit. In nunc, & superbi in exteris mercatori-  
bus, & propter rerum omnium affluentiam  
quam inueniunt (vnde luxus & lerna malo-  
rum) & potentiam, alijs te fœliciorem puta,  
falleris,

I Soly. c.  
48. de po-  
lyhist.

m. Diod.  
lib. 10. c. 9

Falleris, probabit exitus acta. Reperies summas diuitias initium esse extremæ paupertatis, sicut extremalientia, extremæ seruitutis principium est<sup>n</sup>. Omnis enim excesus verti penitus in contrarium consuevit.

n. Plato 8.  
de repub.

Quod axioma & in rebus naturalibus & in republica locum habet. Siquidem magna indigentia non nascitur ex magna inopia, sed ex magna copia, multis enim eger qui multa possidere. Si diuitiae multæ sunt nec custodiuntur, homo desidis & stulti nomen subit;

o. Xenop.  
in econ.

Si custodiā adhibeas, quis custodiet ipsos custodes? ad locatii, medicus, villicus, ceconomus, cœcūs, ancillæ, omnes furantur, & cum multæ sint opes, multi et qui comedunt eas<sup>p</sup>. Itaque nulla maior est poena, quam

p. eccl. c. 5.

velle feruare quod feruari vix potest. Hoc autem sunt opes magnæ. Deinde serio simul ac ioco addimus, quod ubi est rerum copia, eo ut pluri sunt adiuolant meretrices, at ubi meretrices, ibi intollerabilis luxus, cui illæ occasionem maximam præberit, qui luxus non modo ut diximus, ciuitatem perdit, sed etiam infame reddit, sicut Corinthus quæ perpetua sui infamia locum proverbio fecit. Processus autem rerum humanarum est, ubi ad summum peruerterint, rursus decidere & omnia

q. Card. li. omnia q retro sublapsa referri. Adeo nunquam  
 8. c. 40. de anceps & subinde varians fortuna uno loco  
 varie ret. constitit, sed modo huc modo illuc voluntas  
 & cuncta peragrat. Luna in rerum natura  
 cum ad plenam perfectionem peruenit, semi-  
 sim minuitur, eousq; autem augescit donec  
 in summum gradum erat. In summa amplitudine  
 diffusa, quia luce luget aliena sua mutua-  
 tia, deficit paulatim & quasi in nihil re-  
 digitur, sit enim tenebrosa. At tenebrae, quia  
 periuatio sunt, nihil sunt, tenebras enim deus  
 non creauit. Ex quo rursus aliud argumentum  
 sumitur, licet hic alieno loco, ciuitatem  
 feliciter fundatam super populo & nationi-  
 bus exteris diu stare non posse, cum sint alia  
 & mutuatissima auxilia. Sed illuc unde ab illo  
 redeo. Vides in rerum natura, quoniam se-  
 C. Horat. in prius, vt inquit ille<sup>s</sup>, ventis agitatut ingens  
 Odis. pinus & celsus grauiore casu decidunt turres  
 feriuntque summos fulmina montes, & vt  
 t. Psal. 103. ait Psalmista, montes tangit & fumigant.  
 & 143. Humiles vero casae aut in vallibus sitae, non  
 timent procellas, non luduntur fulmine, nec  
 in eas vis maior securire potest; quæ in excel-  
 so constitutas ciuitates de statu deicunt: Ro-  
 ma ex primis olim orta initis; caput mundi  
 effecta defecit, & quæ saepius de victis hosti-  
 bus

bus triumpharat vi etisque insultarat, dein-  
ceps vincentibus colla subdidit. Notum ex  
historijs quid perpessa sit à Totila rege Got-  
thorum. Et nostra memoria quid passa sit,  
pontificalem obtinente sedem Clemēte sep-  
timd, expugnata auspicijs Caroli ducis Bor-  
bonij. Præterea tam ex summis diutijs &  
nimia abundantia, quam inopia, oriuntur se-  
ditiones <sup>v</sup>, fieri enim non potest diuitias in  
ciuitate esse in eodem gradu cum virtute.  
Postquam enim diutiz incipiunt esse ho-  
nori, & eas gloria imperiū potentia sequun-  
tur, hæbescit virtus. Nam cum innocētia pro-  
malevolentia ducitur, paupertas probro ha-  
betur; & vt ait Socrates <sup>x</sup>, difficultis est diui-  
tum familiaritas, cū nihil præter diuitias lau-  
dent & in ore habeant. Ad hæc potentiores,  
vt ait Xenophon <sup>y</sup>, illiberalē ducunt magi-  
stratum partim escere, quo facto authoritas  
qua Senati peculiari semper fuit in omni  
repub. bene instituta, diu stare nequit, qua  
immunita aut sublata mox sensim ea respub-  
lica labefactabitur tādēq; euertetur. Si enim  
obedire maximū eit bonū tum in republica,  
tu etiā militiaz & domi, nemini dubrum est  
quid deprimere aut despicere magistratum,  
maximu sit malū & oīm penē malorū causa.

Inopes

v. Pla. dia.  
4. de Rep.x. 4. de re-  
publ.y. de Rep.  
Lacedæm.

D E F O E L I C I E T

Inopes autem non ferentes superbiā & despectum ditionū, vel propter diuitias eis iniuridentes, siquidē inuidia ex opulētia oritur <sup>a</sup>, »  
inhibit bonis locupletūm, iisdem insidiatur, & magnū pauperies opprobriū iubet quiduis & facere & pati, vnde minima oblata occasione, sauit animis ignobile vulgus, agit hostiliter, tumultuatūr, locupletiores inuidit, cogitans non habere se quod perdet, nec posse secum peius agi quam antea agebarūr, ex præda locupletius futurūm. Vnde sedatio

**a. Iust.li.8** per quam res maximæ dissipantur <sup>a</sup>. Expe-  
Plato <sup>b</sup>, de legib. dit ergo citius omnes esse mediocriter tan-  
tum diuites, quales sunt in republica nostra opificium, Quod etiam vult Socrates apud  
**b. 4.de re-  
publ** Platonem <sup>b</sup>, & ipse Plato <sup>c</sup>. In quoqueq; inquit, hominum cœtu, nec inopia nec di-  
**c. 4.de leg.** uitiae sunt, ibi iustissimi mores aderunt, neq; enim ibi contumelia, neque iniuria locum habet. Et illas esse optimas leges putandum  
**d lib.2.c.5** est, inquit Diod. Siculus <sup>d</sup>, quibus non di-  
**e. 5.de leg.** uites, sed honesti & prudētes homines fiant. Et rursus Plato <sup>e</sup>. Optimus, inquit, legum-  
lator volet ciues suos fœlices & probos esse quæ simul necessario fermè fieri solent. Di-  
uites autem valde simulque probos esse im-  
possibile. Diuites, vocans Plato, qui pauci è multis

multis pecunias plurimas possidet; quas etiam  
 posset malus quilibet possidere. Quod si ita  
 est, dicit se nunquam concessum, diuitem  
 reuera esse fœlicem nisi etiam bonus sit. Fieri  
autem non posse ut diuitijs aliquis simul præ-  
stet & probitate. Dives enim ut plurimum  
 vel iniquus vel iniqui haeres. Recepit itaque as-  
 feritur, admodum diuites, bonos viros non  
 esse. Quod si boni non sunt, fœlices quoque  
 non erunt. Legum autem sanctio huc respi-  
 cit, ut fœlicissimi ciues sint, & maximè inter  
 se amici. Quapropter Imperatores, quibus  
 curæ erat virtus & æqualitas, quia vix fit ut  
 in ciuitate admodum diuites vel extremè  
 inopes boni sunt, & ciuitas in qua regnent  
 ingentes diuitiae iuxta & summa egestas, mu-  
 tuis iniurijs contentionibusq; vexetur: tan-  
 quam utriusq; terminorum statuëtes noluerunt  
 patrimonio ditiores mercimonium exercere,  
 ut inter medioeris fortunæ mercatores &  
 plebeios facilius esset emendi vendendique  
 commercium f. Simili ratione legislator,  
 ciuium æqualitati modum præscribens, fa-  
 uore quodam permisit ut negotiator excu-  
 setur à muneribus g, sed si locuples factus in  
 eadem quantitate negociationis persevera-  
 rit: teneatur muneribus h. Ita fauor ille ex-  
 pirat,

f. l. 3. C. de  
cōmer. &  
merc.

g. l. 5 §. ne  
gocia. ver.

nā remu.

ff. de iure  
immu.

h. d. l. 5 §.  
negociat.

ff. de iure  
immu.

DE FOB L I C I E T

i. c. cū in  
mult. de  
rescr. li. 6.  
& l. fidei-  
com. §. si  
quis ff. de  
leg. 3.

pirat, ne procedatur in infinitum<sup>1</sup>. Sunt  
enim in omniib<sup>r</sup> rebus certi fines, vltra quos  
nequit consistere rectum. Sic quilibet op-  
fex cum dulcem sobolem alere potest ut ni-  
hilei desit cum ædicula & officina bene in-  
struta, erit profecto fælix iudicandus. Nam  
viuitur ex quo melius, natura beatos om-  
nibus esse dedit, si quis cognoverit uti, & vt  
ait ille<sup>2</sup>.

k. Horat.

l. Cic. pa-  
rad. 6.

m. Tacit.  
anna. li. 18

Pauper enim non est cui rerum suppetit usus,  
& cui satis adiicitur quod operetur. Nec  
æstimatione césemus, verum victu & cultu  
terminatur pecuniæ modus<sup>1</sup>. Itaq; illa ref-  
publica, de qua modò diximus, infoelix & mi-  
serada, quia diuinarum gloria fluxa atq; fra-  
gilis est, hæc verò res publica fælix. Nec mo-  
ueat te quod pecuniæ sunt nerui belli<sup>m</sup>, qui-  
bus indiget ciuitas. Sufficiunt enim ciuitati si  
mediocre avarium publicum habet. Illud  
namque existimandum est, singulos ciues  
cum tempus exigit, opem ciuitati pericli-  
tanti allatueros, singulorum verò omnium  
facultates & opes, vt ait Cicero, diuiniæ &  
thesaurus sunt ciuitatis. Quare Iustinianus  
Imperator præponēs publica priuatis, etiam  
cum diminutione immodiци imperij sui  
questus, sollicitus fuit æditis constitutioni-  
bus

bus procurare , vt subiectos locupletes habet , existimans hoc imperio & fisco satis-

esse . Certe quod Traianus de fisco principis , quem scitissime lienem vocabat , idem

non absurde de ærario publico dici potest .

